

**De cancro, subjuncta remedii, hactenus arcani, contra cancrum laborium  
et faciei declaratione ... / praeside Carolo Gottlob Kühnio.**

### **Contributors**

Baumann, Ernest Friedrich August, 1781-  
Kühn, Karl Gottlob, 1754-1840.  
Universität Leipzig (1409-1953)

### **Publication/Creation**

Lipsiae : Litteris Hirshfeldii, 1814.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sum2nj55>


### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>













Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22006734>



DISSERTATIO  
INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA  
DE  
C A N C R O

SVBIYNTA REMEDII, HACTENVS ARCANI,  
CONTRA  
CANCRVM LABIORVM ET FACIEI DECLARATIONE.

---

QVAM  
ORDINIS MEDICORVM LIPSIENSIVM  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
CAROLO GOTTLOB KÜHNIO,

PHILOS. AC MEDIC. DOCTORE, CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO ORD.  
H. T. ORD. MEDICOR. LIPSIENS. DECANO, COLLEGII PRINCIPVM MINORIS  
SENIORE, SOCIET. OECON. LIPS., ACADEM. SCIENT. DIVIONENSIS ET  
NANCEIAN., SOCIET. SYDENH. HALENS., CORRESPOND. PER HELVETIAM  
MEDICOR. AC CHIRVRG., LATINAE IENENSIS, NATVRAE CVRIOSOR.  
MOSCOVIENS., ACAD. MED. CHIRVRG. PETROPOLIT., SOCIET. PHYSICO-  
MED. ERLANG. MEMBRO HONORARIO, PRAESIDE SOCIET. SCIENT.  
IABLONOVIANAE etc. etc.

P R O S V M M I S  
IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGIA HONORIBVS  
OBTINENDIS

D. XIV. OCTOBR. A. R. S. c1o1occccxiv.  
IN AVDITORIO IVRIDICO HORIS CONSVETIS  
DEFENDET AVCTOR

ERNEST. FRIDERIC. AVGVST. BAVMANNVS  
GRAEFENHAYNICHENSIS - SAXO.

---

LIPSIAE,  
LITTERIS HIRSHFELDIJ.



O

R

C

N

A

E



304851



SERENISSIMO

AC

AVGVSTO PRINCIPI

FRIDERICO HERMANNO OTTONI

AB HOHENZOLLERN - HECHINGEN

HVNC LIBELLVM

DEVOTISSIMI AC PISSIMI

ANIMI MONIMENTVM

ESSE VOLVIT

ERNESTVS FRIDERICVS AVGVSTVS BAYMANNVS.



STRENGTH

2A

ALCOHOLIC

FREDERICK HERMAN OTTOM

AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS

THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK  
AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK

THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK  
AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK

THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK  
AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK

THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK  
AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK

THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK  
AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK

THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK  
AND THE ASSOCIATED - HOSPITALS  
OF THE CITY OF NEW YORK

---

## *P r a e f a t i o.*

---

**I**nter numerosam morborum, quibus corpus humanum misere obnoxium est, cohortem nullum facile inveneris, qui sive malignitatis magnitudinem, sive dolorum, quibus stipatus est, acerbiter spectaveris, cum cancro seu carcinomate, possit comparari, quod fere plerumque omnes artis salutaris conatus irritos reddit atque iure meritoque *medicorum opprobrium* vocatur. Etenim omnia, quae hucusque contra hoc dirisum malum a medicis omnium nationum celeberrimis commendata sunt, remedia haud ita efficientiam probarunt suam, ut semper et medicorum et aegrotorum expectationi responderent, sed saepe eluserunt spem de ipsorum viribus conceptam.

Quae si quis apud animum perpenderit suum, profecto haud mirabitur magnum aut scriptorum, qui de morbo adeo indomabili egerunt, aut remediorum numerum, a quorum usu medici atque chirurgi spem sanationis saepissime deceptam tandem aliquando expletum iri sibi habebant persuasum. Solet enim animus humanus ita comparatus esse, ut non desperet, ne, quod centies et millies felici caruerit successu, tandem ad finem exoptatum perducere possit. Quam ob rem spero fore, ut mihi, cum illorum de carcinomate scriptorum numerum mea dissertatione augere constituerim, eo luben-



tius condonetur argumenti, saepissime iam pertractati, repetitio, imprimis cum hac ipsa scribendi opportunitate uti velim ad evulgandum remedium, adversus carcinoma labiorum saepius, et a me ipso semel optimo cum successu adhibitum.

In illo autem aegroto, qui sese meae curae commiserat, malum ita invaluerat, ut labia fere tota carcinomate absumta essent, nec ipse aegrotus sanitatis recuperandae ullam amplius spem aleret. Nihilo tamen minus omne carcinomatosis vestigium ita deletum fuit, ut, nisi quis sciret, aegrotum labiorum carcinomate quondam laborasse, e labiorum sanatorum adspectu difficulter id augurari posset. Praeter hunc, quem ipse tractavi, aegrotum vidi plures alios, qui eodem remedio usi suam recuperarunt sanitatem. Videbatur igitur haec ipsa medicina, quae tam diri morbi furorem toties felicissime domuit, mereri, quae in notitiam medicorum veniret, atque e tenebris, ad quas turpe lucri studium eam damnaverat, in lucem protraheretur. Id autem nunc, cum mihi, summos in arte medica honores ambienti dissertatio de argumento medico aut chirurgico elaboranda et publice defendenda sit, omnium optime effici posse videtur.

Quam ob rem Lector Benevolus hanc meae dissertationi tribuat, rogo, laudem, ut ab omni quaestus faciendi cupidine, quae hominem liberalem minime decet, alienus remedii compositionem, hucusque diligenter celatam, libere aperuerim, atque sic commodis aegrotorum plus, quam meae ipsius utilitati, prospexerim. Nam haud sum ita vanus, ut credam, in argumento, quod mihi sumsi, pertractando me versatum



esse ita, ut obscuritati, qua illud premi solet, novam accenderem lucem, aut naturam mali clariorem redderem, aut mendendi methodum in universum emendarem certio remve redderem. Hoc aliis, me doctioribus, et longo rerum usu atque experientia ditioribus relinquo. Equidem, meae mihi tenuitatis virium optime conscius, in eo me continebo, ut pro arctis, quibus academicae dissertationes circumscribi solent, limitibus breviter ea colligam, collectaque diiudicem, quae de cancro in variis legi et antiquioribus et recentioribus scriptoribus, dein transeam ad formulam remedii mei declarandam.

§. 1.

*Cancr i m a g o.*

Quamquam hoc ipsum malum haud dubie antiquissimis iam medicis notum fuit, tamen natura eius adeo densa caligine adhuc tegitur, ut haud sit mirandum, celeberrimos omnium aetatum medicos in diversissimas de illa sententias abiisse. Haec autem sententiarum diversitas luculentissime apparebit cuilibet, modo Io. GRASHVYSII <sup>1)</sup>, IAC. van der HAAR <sup>2)</sup>, BER. PEYRILHE <sup>3)</sup>, GESSCHER <sup>4)</sup>, PTR. CAMPERI <sup>5)</sup>,

1) *Exercit. med. chirurg. de scirrho et carcinomate.* Amsterd. 1742. 8.

2) *Verhandel. over de natuur en aart van de Klier-Knoest en Kankergezwellen.* Amsterd. 1761. 8.

3) *Dissert. acad. de cancro, quam duplici praemio donavit ill. acad. scient. Lugdun.* Antwerp.

1775. Repetita in SCHLEGEL. *thes. pathol. therap.* Vol. I. P. I. pag. 181 — 242.

4) *Heelkundige Mengelstoffen.* Amsterd. 1778.

5) *Samml. auserl. Abhandl. zum Gebrauch pract. Aerzte.* Band XI. pag. 509 ss.



GVIL. LEVRSII <sup>6)</sup>, IO. ADAMSII <sup>7)</sup> aliorumque evolvat scripta. Equidem opus in me suscepturus essem, meis viribus maius, si omnes has sententias multis exponere verbis, expositas inter se comparare atque de iis iudicium proferre vellem meum. Cum autem morbi diversissimi sub scirrhorum et canceri nomine descripti ab auctoribus sint <sup>8)</sup>, unde tanta de adhibitorum medicamentorum aut utilitate aut inutilitate inter medicos dissensio derivanda esse videtur, minime rem actam agere mihi videbor, si, RICHTERVUM, ARNEMANNVM, LEVRSIVM aliosque secutus, morbi, de quo exponere apud animum constitui meum, imaginem ad naturam expressam delineavero.

Cancer autem non nisi a tumore atque induratione partis glandulosae originem sumit <sup>9)</sup>. Is autem tumor initio parvus, lapideae fere duritiei, quaquaversum moveri pot-

6) *Ebend.* B. XII. p. 263 — 413.

7) *Bemerkungen über Krankheits-Gifte, Phagedaene, Krebs etc.* Bresl. 1796. 8.

8) ERN. BJM. GLI. HEBENSTREIT. in suis ad BELLIVM *de Ulceribus*. Lips. 1793. 8. additamentis p. 210. recte quoque animadvertit hanc notionem, quae scirrhum et cancerum comprehendunt, incertam et vagam definitionem, atque multus est in iis ad certos ac finitos terminos revocandis. Vocari autem scirrhum iubet indurationem glandulae cuiusdam singulae, a doloribus liberae. Differre igitur scirrhum ab omnibus

aliis partium indurationibus eo, quod 1. unam tantum glandulam afficiat, nec plures simul in partibus, a se invicem longo intervallo dissitis, uti in scrophulis fieri solet; 2. solas glandulas occupet; 3. elastica duritie conspicuus sit; 4. sensu careat, denique 5. nunquam in suppurationem transire possit.

9) Hanc e scirrho originem ad naturam canceri finiendam aequae necessariam esse, ac inflammationem ad suppurationis praesentiam declarandam, putat HEBENSTREITIVS *l. c.*



est, doloribus caret, saepius superficiem glabram, nec eminentiis duris horridam, interdum autem inaequalem offert, sine inflammatione perspicua, aut coloris cutanei immutatione. In nonnullis aegrotis malum per plures saepe annos, quin per integram vitam durat, nec ullam adfert molestiam. Alii autem hac felicitate minime fruuntur. In his enim glandulae induratae vitium non adeo lento incedit progressu; moles potius illius subito augetur, eiusdem superficies inaequalis et nodosa deprehenditur, dolor persentiscitur levis et quodammodo obtusus, imprimis quando glandula paululum premitur, cui prurigo maior et subinde aliqua quasi puncta succedunt. Sensim sensimque dolor augetur, saepius redit diutiusque saevit. Tandem molestissimo sensu tanquam ab acubus perfosso tumore, aut candentibus carbonibus illi inclusis, excruciatum aegrotus. Hos autem dolores vehementissimos esse in uno alterove apice tumoris maxime prominente auctor est ASTRUCIUS <sup>10)</sup>. Durities cum asperitudine augetur. Vasa sanguifera, quae tumorem ambiunt, inflantur; inde cutis color, ab initio rubicundior, nunc in dies magis magisque livet. Cuticula, in pustulas hinc inde elevata atque fissa, stillat humore tenuiore, acri, rodente, totusque tumor, quamquam nulla in illo fluctuatio deprehendi potest, tamen videtur rupturae proximus esse <sup>9)</sup>.

Quamdiu autem cutis ipsa nondum disrupta, nec ul-

10) *Von den Geschwülsten und gründe der Wundarzneik.* Th. I. Geschwüren. Th. II. pag. 25. §. 457.

11) CONS. RICHTERI *Anfangs-*



ceris hiatus formatus est, malum *cancris occulti* nomine insignitur. Cui quidem mali statui opponi solet *cancer apertus* seu *exulceratus*. Quando enim acris eademque admodum tenuis materies per cuticulam in pustulas elevatam, roris sub forma aliquamdiu exsudavit, tandem finditur ipsa cutis subiecta, atque e rima orta prorumpit fungus, cuius aspectus baccis Rubi idaei aut floribus Brassicae botrytidis nondum apertis, similis esse solet, atque celerrime crescit. Durties, quae huic fungo peculiaris esse solet, ADAMSIO <sup>10)</sup> videtur tribuenda esse pressurae, quam a cute adhuc integra, antequam exesa erat, patiebatur: adest enim fungosa ista caro iam sub *cancris occulti* primis initiis. Iam malum summa cum celeritate in peius ruit. Ichor profluens sanguinolentus, pessimi foetoris, sua acrimonia partes vicinas depascit. Febris, quae antea fere aberat, nunc incenditur, cuius rei causam accuses sive dolorum urentium pungentiumve immanitatem, sive ichoris resorpti in sanguinem transitum. Margines ulceris duri et quasi callosi tument, retorquentur, coloremque subinde mutant suum, quippe cum nunc pallide cinereum, nunc lividum, nunc nigrum, nunc alium obtinent. Dolorum acerbitas et omnem somnum abigit, et vires quoque ita exhaurit, ut animi deliquia et convulsiones adeo patiantur aegroti. Ipsam autem debilitatem multum augent haemorrhagiae, quas ichoris rodentis vi exesa vasa efficiunt, quasque eo magis metuere debemus, quo difficilius illae coerceri possint, cum erosa vasa neque propter dolorum ve-

12) *Lib. cit.* p. 129.



hementiam investigari, investigataque ligari, neque agarico ita comprimi possint, ut sanguinis nimium dissoluti profluvium penitus impediatur.

§. 2.

*Symptomatum diversitas.*

Quam hucusque adumbravi canceri occulti atque aperti imaginem, ea continet symptomata, quae alii scriptores in describendis singulis casibus canceri aut plane non, aut omnino contraria invenisse testantur. Nam cum omnes fere in eo consentiant, ut ichorem, e canceri aperti ulcere profluentem, pessime foetere statuant, IAC. HILLIUS <sup>13)</sup> tamen contrarium observavit. Eundem ichorem cancrosum plerique tenuem atque acerrimum, nonnulli, inprimis in mammarum carcinomate, puri similem reppererunt <sup>14)</sup>. Eadem diversitas obtinet in ichoris ratione ad acida aliaque reagentia. Cum enim CRAWFORDVS <sup>15)</sup> observaret, ichorem cancrosum, cum acido sulphurico coniunctum, effervescere, indeque alkalinam ichoris naturam derivaret, in qua sententia concivem RICHARDVM GUY <sup>16)</sup> BER. PEYRILHEVM <sup>17)</sup> aliosque consentientes habuit, alii acidam eiusdem ichoris naturam experimentis suis extra omnem dubitationem posuisse sibi videntur <sup>18)</sup>, cum per illum, uti LEFEBURE vidit, non solum

<sup>13)</sup> *Chirurg. Beobacht.* Leipzig, 1777. 8. No. 8.

<sup>14)</sup> Vid. PET. CAMPER in *Samml. auserles. Abh.* Th. XI. p. 515 ss.

<sup>15)</sup> Vid. *Samml. auserles. Abh.* Th. XV. p. 344 ss.

<sup>16)</sup> *Essay on the scirrhus tumours.* p. 46.

<sup>17)</sup> *Libr. cit.* Sect. II. §. 20 — 40.

<sup>18)</sup> Cons. CHPH. CAS. LERCHE. *observ. de cancro mamm.* §. 15.



syrupi violarum coeruleus color in rubrum mutetur, sed aqua calcis et alkali volatile etiam saluberrimos in sanando carcinomate effectus edant, testibus BARKERO, MARTINETO, VAN WY aliisque, oleum denique tartari per deliquium seu liquorem kali aëratum instillatum ulceri cancroso effervescentiam produxisse, BAYMBACHIVS auctor sit, cuius observationem, dissertatione inaugurali *de curatione canceri occulti et aperti per aquam calcis vivae potam praestita*, Gott. 1769. 4. publici iuris factam, repetiit CHR. GVIL. WHISTLING<sup>19)</sup>. Eandem diversitatem et in aliis carcinomatibus symptomatibus, dolore v. c., marginibus reflexis, varioque colore tinctis, fungo etc. etc. locum habere, iam monuit RICHTERVS<sup>20)</sup>. Cuius quidem rei caussa videtur, ut supra iam monui, imprimis in eo posita esse, quoniam morbo, cui tam diversa symptomata tribuebant observatores, quamquam idem nomen tribuebatur, tamen non ubivis eadem natura competebat, sed sub eodem nomine morbi longe diversissimi comprehendebantur. Quae sententia mihi magis arridet, quam quae a RICHTERO<sup>21)</sup> proposita est: cancerum haud dubie minime peculiarem esse morbum, sed ulcus constituere, quod, uti reliqua ulcera, a variis proficiscatur caussis, et sub variis formis conspiciatur. Ulcera enim carcinomatosa, quamquam multa habent communia cum cancro, tamen hic hoc singulare et quasi proprium

19) *Aeltere und neuere Kurmethoden d. offenen Krebses*. Altenb. 1796. 8. p. 118 sq.

20) *Libr. laud.* §. 461 sq.

21) *Chirurg. Bibl.* Th. V. pag. 520 et *Anfangsgründe der Wundarzneik.* Th. I. p. 462.



offert, quod in solis partibus glandulosis, praegressa ipsarum induratione, oriri potest. Aliud signum, quo cancer verus ab ulceribus carcinomaticis distingui posse dicitur, inde desumptum est, quod cancrum verum neque internis neque externis remediis sanare possimus, id quod in ulceribus carcinomaticis saepius contingat. Addidit BER. PEYRILHE l. c. §. 83 sq. plura adhuc signa, quibus ulcera carcinomatica cognosci et a vero cancro discerni possint.

### §. 3.

#### *Diagnosis cancri.*

Quae cum ita sint, videtur accurata omnium morborum, qui ad carcinoma male relati sunt, diiudicatio maximi momenti esse, ne vana spe efficiendae sanationis, ubi illa locum habere nequit, nosmet ipsi deludamus. In quo quidem argumento accuratissime exponendo inprimis versatus est LEVRSIVS, cuius dum vestigia legero, reprehensionem vitabo electi viae ducis minus fidi, rerumque, quae in disceptationem veniunt, parum periti. Is autem omnes morbos, qui cum cancro aliquam similitudinem habere possunt, divisit in tales, qui in quavis corporis parte obvenire possint, quo scrophulas tumoresque et lymphaticos et alios retulit, et tales, qui certae cuidam parti proprii sint. Nimis longum foret, si omnes hosce morbos hoc loco enumerare signaque, quibus a cancro genuino discrepant, a LEVRSIO allata, repetere velim. Quam ob rem nonnullos tantum deligam, quibuscum cancer frequentissime confundi solet, et qui reme-



diis variis, contra hoc dirissimum malum commendatis, gloriam felicissimi successus conciliarunt. Inter hos primas partes tenet scrophula, quae quoniam saepe cum cancro coniungi solet, etiam PETRO BIERCHENIO <sup>22)</sup>, accurato de canceri signis scriptori, occasionem praebuit, peculiarem canceri formam constituendi. Inter scrophulas autem et scirrhum, canceri genuini initium, hae sunt differentiae. Scilicet glandulae lymphaticae, quae scrophulis sedem praebent, plures simul <sup>23)</sup>, nunc tardius, nunc celerius intumescunt atque indurescunt, aetati infantili aut iuvenili maxime communes sunt, mutant saepe locum, semper levem atque elasticam offerunt superficiem, et cum morbosa corporis constitutione coniunctae sunt <sup>24)</sup>. Hae ipsae glandulae, ubi in suppurationem abiere, ulcera formant impura, serpentia, nec ossibus ipsis parcentia, difficillima curatu, et, si forte ad sanitatem fuerint perducta, saepissime brevi post recrudescunt <sup>25)</sup>. Quorum quidem ulcerum malignitas summos medicos atque chirurgos in errorem induxit, ut cancrum putarent adesse, ubi longe mitius et curationem facilius admittens malum erat oppugnandum. Sic IO. ZACH. PLATNERVS <sup>26)</sup> putat ad scirrhos generandos haud parum conferre malum victum, si

22) *Abhandl. v. d. wahr. Kennzeichen d. Krebsschäden* etc. Aus d. Schwed. Gött. 1775. 8. p. 38.

23) BIERCHEN. l. c. p. 47.

24) BIERCHEN. l. l. p. ead.; unde faciei color e griseo flavescit et lividus est, oculi inflammati, glandulae

Meibomianae in palpebris exulceratae sunt, cutis aspera est, et impetiginibus hinc inde deformis.

25) Vid. H. CALLISEN *Syst. der neuen Wundarzneik.* Th. II. §. 165.

26) *Institut. Chirurg.* Tom. I. §. 257.



pueri leguminibus, oleribus, salsamentis et panificiis alantur; si ipsis cerevisia potioni detur tenuis coacescens; si ipsorum tenuiora infirmaque corpora nullo motu atque exercitatione recalescant: quam ob ipsam causam pueris, qui in orphanotrophiis alantur, scirrhos esse frequentiores. Quae omnia scrophulis magis, quam scirrho congruere negari haud potest. BIERCHENIVS autem inter cancrum genuinum et scrophulosum hanc intercedere differentiam contendit, ut ille extirpationis felicissimum successum, modo nihil morbosum relictum fuerit, scrophulosus autem minime promittat; ut scrophuloso minor sit durities; ut, si cancer mammam occupaverit, atque ex occulto in apertum abierit, ulcus cancri scrophulosi colorem e rubro coerulescentem offerat, et mamma planior duraque, cum subiacentibus musculis firmissime concreta, in media parte veluti sulco divisa appareat. IO. CHR. STARKIVS <sup>27)</sup> hisce signis, quae attuli, addit novum, quod in aperto praecipue cancro sese conspiciendum praebet. Ichorem enim inde profluum, foetidum, acrem urentemque esse, labiis ulceris inversis, callosis; scrophulosa autem ulcera pus tenue, caseosum effundere, quod neque acre sit, neque odorem foetidum spargat.

Quot cancri labiorum, mammarum atque uteri ad hoc ipsum scrophulosum vitium referendi et e numero cancrorum genuinorum expungendi erunt! Ac de ulceribus labiorum scrophulosis, quae cancrum mentiri solent, accurate exposuit

27) Cons. Ei. dissertatio *de cancro labii inferioris, observationibus*

*illustrato.* C. tab. aen. Ien. 1812, 4. §. 9.



LEVRSIUS <sup>28)</sup> atque ostendit, medicum, quamvis illa ulcera foedum adspectum offerant, tamen, modo ad symptomata, vitio scrophuloso propria, diligenter animum advertat, facile cancri praesentis metum deponere posse. Idem valet in mammas, quarum tumores saepissime cum scirrho, ulcera cum cancro aperto solent confundi. THEVSINKIUS quidem, a LEVRSIO l. c. p. 253. citatus, refert de ulcere tali, quod a multis medicis satis celebribus pro cancro mammarum habitum simplicissima, ad morbi causam directa curatione sanatum sit. Et IAC. van der HAAR <sup>29)</sup> libere profitetur, se ipsum, iuvenem adhuc, ulcera cum marginibus inversis et violacei coloris, quae mammas depascerent, cancos pronuntiasse, quae senior factus experientiaque ditior minime hoc nomine digna esse cognovisset. Denique et uterus, quamquam vero cancro corripui omnino potest, tamen saepe in huius vitii suspicionem trahitur, ubi, si accuratius in mali naturam inquisiverimus, eiusdem nullum vestigium deprehendimus. Etenim effluxus glutinosi ac purulenti humoris e vagina, LEVRSIO l. c. p. 287, et van der HAAR l. c. §. 23. auctoribus, satis declarat indolem scrophulosam.

Praeter scrophulas nullus fere morbus ulcera foediora, adpectu suo magis terrentia, maligniora et pertinaciora morbo venereo praebet. Quam ob rem saepissime factum est, ut de

28) *Prysverhandelingen bekroond door het Genootschap der Bevorder. d. Heelk. te Amsterd. Deel I. §. 97. et Samml. auserl. Abh. Th. XIX. p. 219.*

29) *Genees- en heelkund. Waarneemingen. §. 129.*



cancro felicissime sanato gloriaretur chirurgus, quando non nisi ulcus venereum pessimae indolis tractaverat. Medicorum autem eruditorum atque nihil non ad rationem dirigentium est, ut in naturam morborum sollicite inquirant, eaque rite indagata aptum ipsis imponant nomen. Praeclare igitur de arte nostra promeruerunt, qui signis maxima cum diligentia et cura inveniendis operam dederunt, quibus cancer apertus ab ipsis pessimi moris ulceribus, quorum caussa virus venereum est, distingui possit. Inter hos praecipue commemorandi sunt denuo BIERCHENIVS libr. laud. pag. 81 — 120. et LEVRSIVS libr. pluries laud. §. 61. 93. 107. etc., quorum hic cum de variis locis, in quibus cancer oriatur, exponit, semper addit, quando morbi pro cancro habiti a contagio venereo originem traxerint, et solis remediis, quae morbo venereo conveniunt, ad sanationem fuerint perducti. In hisce locis, quae morbis adfici possint, cum cancro aliquam similitudinem habentibus, quamvis natura sua longe diversis, linguam praecipue, labia, mammas, partesque genitales utriusque sexus posuit LEVRSIVS. Cancer linguae, qui putabatur, in femina felicissime ab eodem tollebatur remediorum mercurialium ope et van WY alios descripsit casus, qui, cum de cancri praesentia minime dubitare medici viderentur, aegrotos sollicitabant, et angebant, quamquam iste metus vanus erat, quippe cum mercurio in usum vocato ulcus malignum brevi sanaretur. Eodem modo duo aegroti a BIERCHENIO sanitati restituebantur, qui, si remediorum, ad cancri, qui adesse putabatur, curationem commendatorum, usus



diutius continuatus fuisset, miserrimam sortem perpassi essent. In altero aegroto, qui cicutam in pillularum forma adhibuerat, et eiusdem decocto os continuo eluerat, lingua iam fere dimidia intra duodecim septimanarum spatium ulcere absumta erat; anima foetebat, saliva e corrosis ductibus excretoriis glandularum sublingualium, et submaxillaris copiosissime profluebat, unde febris hectica orta macie aegrotum confecerat, deglutitio maxime impedita, ulcerisque color impurus e nigro brunneus est. Quae quidem symptomata etsi curationis successum dubium reddebant, tamen BIERCHENIVS, cum e tumore attactu molliore, colore ulceris impuri obscure brunneo, e tuberculorum et fissurarum absentia, denique ex aequali linguae consumptione naturam mali cognovisset <sup>30)</sup>, de pessimae indolis morbo triumphavit exhibitis aegroto pillulis e calomelane, sulphure aurato atque camphora. Neque vero minor frequentia est mammarum, tabe venerea pessime adfectarum, et imperitos ad canceri praesentis suspicionem inducentium. Malum autem hoc ab initio scirrhus minus durum ac renitens est, celerius augetur, doloresque producit vehementiores magisque pungentes: nodi, qui in mammae profunditate tactu detegi possunt, ubi in suppurationem seu potius exulcerationem abierunt, non pus, sed lympham tenuem, sanguinolentamque fundunt: haec ulcera haud raro gangraenosa fiunt, inversis marginibus, coloris e flavo rubri, ingentem spargunt foetorem, atque fungos progignunt, ad capitis infantilis magnitudinem increscentes, qualem SAVVAGESIVS <sup>31)</sup> observavit.

30) LEVRSIVS a. a. O. §. 75.

31) Vid. LEVRSIVS l. c. §. 93.



Horum ulcerum accuratam descriptionem nobis exhibuit BIERCHENIVS <sup>32)</sup>. Denique et genitalia praebent varios morbos, qui ob magnam, quae ipsis cum cancro intercedit, similitudinem cum cancro quotidie fere confunduntur. Ac de virilis membri cancro quamquam scriptores v. c. SCHMALZIVS <sup>33)</sup> atque IOERDENSIVS <sup>34)</sup> exempla literis mandarunt, tamen LEVRSIVS, vera ea esse, magnopere dubitat, et observationem GERH. I. van WY adfert, qua planum factum est, glandem penis cum praeputio fere dimidiam valde induratum, et varicosis venis deformem, cuius adspectus cancro genuino simillimus erat, usu interno mercurii, et decocti lignorum, externo emplastri de ranis cum mercurio sanatum fuisse. Simile exemplum attulit IVSTAMONDVS libro paulo post citando (p. 468). Aegrotus enim, cuius glans penis cum maxima praeputii parte ulcere fere tota absumta erat, quod, canceri nomine insignitum, etiam corpora cavernosa attigerat, tandem mercurio sanatus est. Scroti cancer, qui caminorum purgatoribus, praecipue in Anglia, infensus esse solet, cum ulceris plani atque dolentis margines duri atque tumidi, minime inversi sint; cum porro malum a sola causa oriatur externa, et denique resectio partis adfectae illud semper sanet, hoc ipso nomine nequaquam dignus, sed potius ad serpentina ulcera referendus esse videtur <sup>35)</sup>. Sinus seu pudenda mulierum saepe varios offerunt morbos, qui carcinomatis nomine

32) L. c. p. 81 ss.

34) Ibid. Bd. III. p. 63.

33) Cons. LODERS *chirurg. Journ.*  
Bd. I. p. 613.

35) LEVRSIVS, l. c. §. 114.



aegrotas maxime terrent, etsi illis potius polyporum, sarcomatum ulcerumque venereorum et natura et nomen competat. Cuiusmodi exempla quam plurima cum lectoribus communicavit LEVRSIVS (§. 116.), quae adeo luculenta sunt, ut de vera ipsorum indole nequeat dubitari <sup>36</sup>). LEVRETUS quidem, si uteri cancrum salivatione feliciter se curasse testatur <sup>37</sup>), minime cancri, sed venerei ulceris sanationem perfecisse putandus est. Quam ob rem et F. G. VOIGTELIVS, cuius praematuram mortem merito lugemus, recte statuit, magnum numerum scirrhorum atque carcinomatum uteri, a medicis chirurgisque observatorum, si acriori censurae subiicienda sint, difficulter probatum iri <sup>38</sup>). Signa, quibus ulcera uteri maligniora, cancri speciem prae se ferentia, a vero carcinomate uteri distingui et possunt, et debent, collegit saepius iam laudatus LEVRSIVS l. c. §. 118. Ex his igitur, quae hucusque disputata sunt, luculentissime apparet, morbos diversissimae naturae, si modo dolorum vehementia, adspectus deformitate, durationis pertinacia et destructione partium finibus haud circumscribenda sese prodebant, sub cancri quasi communi nomine comprehensos fuisse. De qua quidem permutatione atque inde orta notionum confusione iam IOH. ADAMSIVS haud temere conquestus est <sup>39</sup>).

36) Vid. et IOH. PEARSON *principles of Surgery*. §. 359. et in *Sammml. auserles. Abhandlungen*. Th. XVI. p. 666 ss., ubi diligenter distinguendum esse statuit cancrum uteri ab ulceribus venereis eiusdem visceris.

37) *Essai sur l'abus des regles générales*. p. 161.

38) *Handbuch der prakt. Anat.* Th. III. p. 487.

39) *Bemerkung. über Krankheitsgifte u. s. w.* Bresl. 1799. 8. p. 124 ss.



## §. 4.

*Natura canceri.*

Iam vero, cum arctioribus finibus cancerum incluserim, separatis inde et ulceribus carcinomaticis et aliis morbis, qui multum similitudinis cum cancro habere solent, liceat progredi ad naturam canceri genuini indagandam, causasque, quae malo tam diro originem praebeant, rimandas. Et prius quidem argumentum, nisi hypothesibus locum concedere velimus, difficillimum est, atque propterea a celeberrimis scriptoribus cum irrita successu pertractatum. Nimis longum foret, omnes hypotheses, ad naturam canceri investigandam excogitatas, recensere atque diiudicare. Quam ob rem morabor tantum in nonnullis in medium proferendis 4°).

Ios. ADAMSIVS putavit cancerum consistere in hydatidibus formatis in glandulae scirrho, atque humore peculiaris naturae repletis. Quas quidem hydatides, diversas a simili, in variis abdominis visceribus obvia, formatione, ubi semel ortae fuerint, sensim et numero et magnitudine augeri, et vehementissimos hac ipsa partium extensione dolores producere existimavit. Peculiare quid esse, quod hydatides, maiores factae, non versus cutis superficiem emergant, sed quaqua versum distribuantur, quodque caro fungosa generetur prius, quam cutis rupta occultum cancerum mutaverit in apertum. Huic ipsi fungo, a cute adhuc integra compresso, magnam duritiem canceri occulti, inaequalem cutis incumbentis super-

4°) In hoc praecipue elaboravit LEVINSIVS l. c. §. 132 ss.



ficiem atque alienatum colorem, quando cancer in eo sit, ut exulceretur, margines denique inversos carcinomatis aperti tribuenda esse. Quodsi occultus cancer in apertum semel transierit, mali tardiores aut celeriores progressus pendere a constitutione aegroti, a situ hydatidum magis minusve profundo, ab earum magnitudine diversa et ab adhibitis remediis. Fungum enim per plures menses interdum sine ulla mutatione, si sanguinis stillicidium subinde ortum exceperis, persistere, usque dum magna hydatidis, aut etiam plures simul, sub ulceris fundo sitae, subito rumpantur, aut ulceratione separentur, unde a relictis hydatidum dilaceratarum membranis ulceris aspectus inaequalis, foedus atque horribilis oritur. Quando autem hydatides cuti propiores sint, in fungo exulcerato subinde conspici foveolas, quae crustis repletae videantur, formatas ab hydatidum sacculis, qui pelluciditatem amiserint, pallido colore tincti corioque emollito fere similes redditi fuerint. Egestio humoris, illis sacculis contenti, magnum quidem levamen aegrotis adfert, sed tumoris magnitudo haud imminuitur, potius oriuntur cavernulae, ulceris aspectum horribilem, cuius paulo ante mentionem inieci, efficientes. In marginibus ulceris, quousque ab hydatidibus liberi sunt, papillae carneaepropullulant, quae luxuriante natura ad fungum accedunt, atque cutim ita ad latera premunt, ut quodammodo retrorsum convoluta esse videatur. Quae quidem naturae canceri descriptio cum sit desumpta, a solo mammarum carcinomate, primo hoc, quod ipsi recte opponi queat, offert: nondum demonstratum esse, utrum, quae



in mammarum cancro fieri soleant antea, quam cancer generari possit, et occultus in apertum mutetur, huic tantum vitio propria sint, an in quacunque alia parte, quam cancer occupavit, simili modo observentur. Dein deprehendimus in variis corporis humani partibus hydatides, ubi tamen cancer locum habere nequit, neque ex iis, quae ADAMSIVS de origine canceri, ab hydatidum in partibus glandulosis formatione derivanda, protulit, intelligi potest, quae mutatio his ipsis hydatidibus accadat, ut cancerum efficiant. Quae enim Io. HUNTERVS 41), MATTH. BAILLIE 42), DAV. VEIT 43) et Io. CHR. AVG. CLARVS 44) de hydatidibus, earumque et origine et natura disputarunt, ea nihil omnino conferunt ad illustrandam indolem earum, quae ab ADAMSIO cancerum genuinum constituere dictae sunt. Denique et haec, ab ADAMSIO prolata, hypothesis nihil utilitatis adferre videtur in curatione mali melius dirigenda.

Altera, cuius mentionem hoc loco faciam, hypothesis nisi auctorem, tamen praecipuum patronum agnoscit pluries laudatum LEVRSIVM. Is autem ante omnia disquirat, utrum canceri natura in locali corruptione solidarum partium, an in depravatione fluidarum reposita sit: utrumque enim a me-

41) *Transactions of a Society for the improvem. of med. and chirurg. knowledge.* Art. 3.

42) *Anatom. d. krank. Baues v. ein. der wicht. Theile im menschl. Körper.* Aus d. Engl. von S. TH.

SÖMMERRING. Berl. 1794. 8. variis locis.

43) Vid. REIL's *Archiv für die Phys.* Vol. II. 3. p. 487 ss.

44) *Quaest. de part. pseudorg. actione organ. morbos. natis, obs. anat. path. illustr.* Lips. 1805. 4.



dicis statuitur. Argumentis, quibus prioris sententiae defensores utuntur, refutatis contendit LEVRSIVS, cancrum nunquam a locali partium solidarum degeneratione, sed semper a peculiari fluidarum corruptione pendere (l. c. §. 156.). Quo quidem sumto, illud, quod cancrum efficit, aut ab arteriis, glandulam perreptantibus, aut a vasis lymphaticis, aut denique a nervis, ad adfectam glandulam abeuntibus, adduci debere statuit. Inter quas partes nervis maximam vim atque efficientiam in producendo cancro tribuendam esse, cum SWIETENIO 45), CAMPERO 46), MONROO 47) aliisque probabile habet. Cum autem virus cancrosum in corpore ipso generetur quidem, sed minime ante pubertatis annos, semen utriusque sexus de vitii cancro generatione accusat. Cuius opinionis firmandae praesidia inde repetit, quod nunquam in infante cancer observatus sit, et VESALIO 48), FORESTO 49) aliisque testibus, monachae, feminae infecundae, omninoque tales, quibus fluxus menstruus aut plane suppressus, aut inordinatus est, prae ceteris cancro obnoxiae reperiuntur. Inde varia phaenomena explicare studet, quorum nonnulla omnino

45) *Comment. in aphor. HERM. BOERHAAVII*. §. 496.

46) *Demonstr. anat. pathol.* Lib. I. c. 2.

47) *De nervis eorumque distributione etc. Lat. redditi a G. COORMANS.* Harling. 1763. 8. ubi pag. 111. verbis auctoris: *Hinc in cancro labii inferioris glandulae sali-*

*vales saepe adficiuntur, vel ab adfectis glandulis miasma labio communicatur,* PET. CAMPERVS animadversionem addidit amplam, nervorum in cancrum imperium demonstrantem.

48) *Chirurg. magn.* Lib. 5. c. 16.

49) *Observ. med.* Lib. XVIII. obs. 27.



facillimam a Leursiana hypothese explicationem admittunt, v. c. frequentiam carcinomatis labiorum in maribus, mammarum in feminis, cuius rei caussa e sympathia, inter has ipsas partes et genitalia intercedente, derivanda sit, vitii raritatem in regionibus calidioribus <sup>50)</sup>, in quibus coitus crebrior sit, animi commotionum, quae nervorum vigorem frangunt, magnam in cancro producendo vim atque efficacitatem, et morbi in brutis insolentiam, quorum semen certis tantum temporibus secretum atque emissum depravationem subire nequeat.

Etsi autem auctor hisce ingenue subiungit, neque sic explicatam esse naturam corrupti seminis, quae cancro producendo occasionem praebere queat, tamen miror, eundem statuere posse, certum esse atque extra omnem dubitationem positum, partim virus cancrorum ad cerebrum deferri, indeque per nervos ad uterum mammasque in feminis, ad labia et linguam in maribus deduci, partim hunc miasmatis cancri in partem adfectam transitum effici ope ramuli cuiusdam nervei, qui vel ad glandulam, quae cancro sedem fixam oblatura sit, adeat, vel eius viciniam in suo descensu attingat. Etenim harum opinionum veritatem quomodo adfirmare queat LEVRSIVS, nemo, opinor, inveniet, nisi cui iam de illa in antecessum fuerit persuasum. Quam

50) SCHOUTENIVS, haud incelebris seculi decimi septimi inter Batavos chirurgus, testatur, se in Asiae pluribus regionibus artem fecisse,

nec tamen unquam tumorem cancrorum observasse. Vid. eiusd. *Verhaal over de tegen — natuurlyke gezwellen*. Deel II. p. 639.



ob rem non diu immorabor iis, quae LEVRSIVS ex illa hypōthesi derivavit. Nam si illud, cui tanquam firmissimo solo suam sententiam superstruxit, fundamento firmo ac stabili caret, ea, quae inde quamvis probabili modo deducuntur, haud dubie aliunde repeti et debent et possunt. Si v. c. LEVRSIVS e sua hypōthesi explicari posse putat et initium canceri in maxime exigua glandulae parte, et lentum mali progressum, utrumque aequè probabili modo inde fluere videtur, quod plenaria organicae structurae glandulae destructio, in qua haud dubie canceri natura posita est <sup>51)</sup>, ab uno tantum eoque exiguo loco incipit, et pedetentim ab interioribus partibus ad exteriores progreditur. Causa vitii potest ex hac nostra explicatione in vasculis minimis haerere, quae si aut obstructa, aut alio modo quocumque praeter naturam adfecta fuerint, hanc morbosam indolem cum proximis vasis lente communicent. Eadem ratio obtinet gangraenae siccae senum, quae ab initio non nisi punctum quoddam nigrum in pedis plerumque digito offert, paulatim crescens, usque dum integer digitus in mali societatem venit. Glandulae structura maxime vasculosa est: haec autem vasa, in minimos ramos divisa, invicem anastomoses efficiunt creberrimas, unde vase uno alteroque obstructo aut aliter adfecto glandula suo officio fungi adhuc potest, nec symptomata sese manifestant prius, quam maior glandulae pars eodem vitio fuerit correpta. Hanc de origine canceri eiusque progressu notionem si animo informaverimus nostro, haud opus est ad tardum medullae

51) Vid. PT. CAMPERI *demonstr. anat. pathol.* libr. I. p. 13.



nerveae flumen, quod etsi ob omni probabilitate longissime abest, tamen a LEVRSIO accusatur, confugere. Medullam in nervis, tanquam canalibus circumagi, hoc physiologiae hodiernae praeceptis omnique experientiae ita adversatur, ut, si argumentis illam opinionem oppugnare velim, irritum laborem suscepturus sim. Neque vero firmiori fundamento nituntur ea, quae ille de insigni tumoris cancroسي duritie, de inaequali eiusdem superficie, de dolorum absentia ab initio morbi, qui eodem procedente pungentes fiunt atque dilaniantes, disputavit. Potius videtur hoc ultimum symptoma indicare, primam mali originem plane non quaerendam esse in nervi, aut ad glandulam induratum abeuntis, aut vicini affectione, quoniam tunc neque dolores, neque spasmi abesse possunt. — Porro sinistri effectus, qui in omnibus remediis acerbis atque calidioribus, loco adfecto applicatis, aut in animi commotionibus, vim nervorum infringentibus, observantur, possunt quoque commodissime explicari, etiamsi canceri naturam aliunde, quam a nervis, ad miasmatis cancroسي secretionem dispositis, derivaverimus. Nam virus cancrosum, maxima acrimonia per se iam insigne, debet acrius adhuc atque malignius reddi omnibus, quae aut acrimoniam continent, aut, uti moeror, tristitia alique similes animi adfectus, humores corporis humani corrumpunt eorumque blanditiem depravant. — Quod cancer eo tempore magis saevit, et ex occulto in apertum transit, quo menstruus fluxus cessavit, hoc inde deducit LEVRSIVS, quod haec ipsa cessatio probet seminis aut depravationem, aut imminutam



secretionem, unde materies illa versus partem laesam pellatur, quam inde vehementer irritari oporteat. Quamquam autem iam PET. CAMPERVM 52) huius sententiae, qua cancerum a cessante menstruo fluxu exacerbari inde ab Hippocratis temporibus statutum est, adversarium novi, quippe qui huius ipsius mali maligniorem indolem tantum temporis progressu produci, nec a menstruorum cessatione tanquam a causa pendere crederet, quoniam et in maribus, huius fluxus expertibus, aetatis anno quinquagesimo appropinquante, occulti glandularum parotidum, submaxillarium, inguinalium, mammarumque canceri 53) in apertos mutari soleant, tamen haud scio, an phaenomeni istius veritas concedi quidem, sed eiusdem explicatio, a LEVRSIO prolata, reiici possit et debeat. Etenim inter omnes constat, multas feminas eo vitae stadio, quo menstruorum flumen exarescere solet, variis corripì morbis, quorum causa nulla alia indagari potest, quam eiusdem illius fluxus cessatio, sive auctam inde sanguinis copiam corpori feminino molestam fieri, sive abrogatam consuetudinis, quae in hac sanguinis evacuatione inde a pubertatis termino obtinuerat, legem aegre a natura muliebri tolerari statuamus. Cum autem in illis morbis, qui obstructo menstruationis fonte plerumque locum habent, observare liceat systema nervosum inprimis adfectum, cuius insignis vis ac potestas in augenda canceri malignitate negari omnino nequit,

52) Vid. *Samml. auserles. Abhandlungen zum Gebrauch prakt. Aerzte*. Th. XI. p. 513.

53) Cons. LE DRAN in *Mém. de l'acad. royale de Chirurg.* Tom. III. p. 19.



facile intellectu esse videtur, cur fluxus menstruus cessans maximum habeat momentum in canceri indole mutanda. — Resolvi non posse tumorem cancrosum, usu atque experientia constat. Cuius quidem phaenomeni ratio minime pendet, uti LEVRSIVS voluit, inde, quod tumor in partium solidarum incremento consistat, sed quod organica glandulae induratae structura penitus destructa sit, adeoque eius durior atque lapidea massa, vasis omnibus deletis, quae circuitui humorum praesunt, emolliri, emollitaque ad naturalem conditionem nullo modo reduci possit. — Neque vero video, quomodo hoc, quod cancer cultro remotus semper aut in vicino loco recrudescat, aut alium morbum producat, pro opinione LEVRSIANA (*l. c.* §. 302.) pugnare possit, qua a cerebro generatum virus cancrosum per nervos ad glandulam quamcunque deferri statuitur. Etenim si occultus cancer fuerit resectus ita, ut vel minima eius pars relictata sit, haec fomitem quasi continebit, e quo denuo malum in vicina parte brevi propullulabit; sin ex occulto in apertum abierit, tunc etiamsi chirurgus omnem adhibuerit diligentiam, ut corrupta omnia cultro absumeret, tamen virus cancrosum iam omnem humorum massam infecit, atque aut ad quamcunque glandulam delatum in ea simile vitium, aut in viscere aliquo quasi depositum morbos gravissimos nec raro lethales, febrem v. c. hecticam, aut convulsiones aut apoplexiam etc. producit. Videtur ulcus cancrosum, veluti fonticulus, humoribus corruptis exitum praebere, et quo diutius hoc ulcus duravit, eo gravius solet corpus huius effluxus, cui quodam-



modo aduefactum est, suppressionem ferre eoque citius mors efficitur. Hinc RICHTERVS 54) salutare existimat, aliquot ante operationem septimanas prope partem adfectam fonticulum aperire apertumque aliquamdiu servare, ut aut effluxui materiae ichorosae adsuetum corpus liberum servetur ab omnibus malis, quae a subitanea suppressione huius fluxus oriri possint, aut illud, quod post operationem in corpore forte remanserit de materia cancrosa, ulceris arte facti ope eliminetur. — Denique radices cancri a LEVRSIO suae sententiae defendendae caussa adferuntur. Quas quidem cum antiquiores HERM. BOERHAVIO 55) scriptores observassent quidem, sed inexplicatas reliquissent, inter recentiores B. PEYRILHE 56) earum naturam ac originem exponere conatus est. Scilicet vasa, glandulae propria, ubi haec in scirrhum abierit, sensim sensimque collabi putat, et quasi ligamenta formare, quibus tanquam radicibus cum partibus subiacentibus et vicinis cohaereat cancer. Contra quam sententiam LEVRSIVS monet, in hoc ipso malo vasa adeo non collabi, ut potius magnopere dilatentur et varicosa fiant; dein haud facile, aut potius plane non explicari posse, qui fiat, ut hae radices relictæ, si a vasis collapsis originem sumserint, malum extirpatum denuo producant. Quae cum ita sint, a nervis, ad corruptam glandulam abeuntibus, atque cancroso miasmate degeneratis, illarum radicum ortum derivat LEVRSIVS, qui

54) *Anfangsgr. d. Wundarzneik.*  
Th. I. §. 473.

H. BOERH. *aph.* §. 499. Tom. I.  
p. 883.

55) Vid. SWIETEN. in *comm. ad*

56) *Loc. cit.* §. 48. p. m. 208.



si semel cancroso vitio infecti fuerint, illud fortissime retineant, atque novos quasi surculos protrudant. At vero anatomico neutiquam hanc hypothesin confirmat; dein intelligi quoque nequit, cur hae radices non semper adsint, cum tamen LEVRSIVS in hac nervorum corruptione canceri naturam ponat, ut adeo in omni cancro nervorum rami, qui virus ad glandulam a cerebro deferunt, simili depravatione correpti esse debeant. Quam enim ille adfert causam absentiae illarum radicum, nempe ipsam canceri diversam qualitatem, ea nulla est, quoniam, cum omnis omnino cancer ex illius sententia a nervis pendeat, nervi propterea, quod venenum cancrosum ad glandulam devehunt, prae ceteris partibus, quae inde corrumpi possunt, perpetuo eodem modo affecti esse debebant.

Expositis duabus de natura canceri hypothesibus tertiam addere iuvat. Licet ea quidem antiquioribus iam medicis 57) haud ignota fuerit, tamen cum a Io. O. IVSTAMONDO 58) novis

57) Laudat IVSTAMONDVS, MARTIN. SCHVMACHERVM in sua de cancro dissertatione, Hal. 1669. 4. Sed cum illam curatius inspicerem, vidi ab ipso p. 18. illam sententiam dici maxime absonam plebis phantasiam. De Italo Ios. MAR. QVADRIA (*nuovo metodo per curare sicuramente ogni canchero coperto, e specialmente le ghiande scirrosc delle mammelle e di altre parti del corpo*) haud novi plura, quam quae IVSTAMONDVS attulit, vidisse nempe illum in cancro aperto vermi-

culum, fili linei crassitie, phalangis ultimae digiti minimi longitudine insignem, coloris rubelli, ut fibram carnis muria conditae referre videretur. Praeter hunc etiam DIONISIVS (*oeuvres de chirurgie* p. 343.) adseverat, ope microscopii in ulceribus carcinomaticis animalcula detecta esse.

58) *An account of the methods pursued in the treatment of cancerous and scirrhus disorders and other indurations.* Lond. 1780. 8.



argumentis ornata, denuo in scenam producta sit, silentio praetereunda haud videtur. Is autem putabat cancrum oriri ex insectis aut eorum ovulis, vasorum lymphaticorum ope ex aëre atmosphaerico resorptis: haec ovula in tumoribus scirrhis aliquamdiu latere tranquilla, h. e. vitae expertia, usque dum a quacunque tandem caussa exclusa apertum efficiant cancrum. Ad hanc de canceri origine et natura hypothesin ipsum deductum esse ait cogitatione situs et conditionis partium, ab hoc malo plerumque correptarum, peculiaris dolorum, qui aegrotas tales excrucient, rationis, exulcerationis, et denique analogiae atque effectuum, quos in hoc morbo remedia edant, ad venenorum classem pertinentia. Scilicet, quod sedem attinet mali, ea in omnibus partibus solet locum habere, quae aëri atmosphaerico maxime patent, v. e. in mammis, utero, lingua, labiis, naso atque facie, atque copiosis vasis lymphaticis instructa sunt, quorum suctu ovula ex aëre atmosphaerico ad glandulas deferantur. Quamquam autem IVSTAMONDVS negare nequit, glandulas internas saepe mali sedem esse, hoc tamen minime putat aliquid ad infringendam hypotheseos suae verisimilitudinem conferre, quoniam aut glandularum illarum induratarum exulceratio potius a scrophuloso vitio, quam a cancro efficiatur, aut, si verus adsit cancer, ovula insectorum e vasorum lymphaticorum systemate in sanguinem transire potuerint. Cum autem cuilibet insecto peculiare remedium, quod veneni instar in illud agat, oppositum sit, v. c. acaris, a quibus nuper WICHMANNVS scabiei originem derivavit, sulphur, illis



insectis, quae canceri causam praebeant, arsenicum maxime perniciosum esse statuit IVSTAMONDVS. Equidem nolo insectorum praesentiam interdum in cancro aperto negare: ulcera enim impura atque foetentia, qualia sunt canceri aperti, alliciunt insecta <sup>59)</sup> ipsorumque ovulis, calore corporis aegroti excludendis, opportunitatem praebent. Sed haec insecta extrinsecus inferuntur in cancerum apertum, minime vero eius causae sunt: debebant enim tunc iam in cancro occulto, in apertum abiturienti, assumi, quod, quantum equidem novi, a nullo scriptore, qui insectorum auxilio ad explicandam canceri originem usus est, factum esse videtur.

§. 5.

*Causae canceri.*

Ad causas canceri rimandas dum progredior, monendum est, earum numerum valde imminui et posse et debere, cum supra ostensum sit, varios morbos, quorum natura longissime a natura canceri genuini recedit, sub canceri nomine a medicis atque chirurgis quam plurimis descriptos esse. Si enim in Io. SCVLTI observationibus <sup>60)</sup> legimus, nobilem

59) Sic LARREYVS (*Medicin. chirurg. Denkwürdigk. aus sein. Feldzügen.* Leipz. 1813. 8. pag. 109.) narrat, milites vulneratos in expeditione Syriaca male habitos esse a coeruleis muscis, in Syria frequentibus, quae ipsorum ovula inserebant aut vulneribus suppurantibus, aut fasciis, quibus deligabantur. Ex-

cludebantur haec ovula summa cum celeritate, et praeter pruritus molestias efficiebant suppurationem copiosissimam, vires aegrotorum exhaustientem.

60) In *observatt.* 61. subiunctis *Armament. chirurg.* Hag. Cam. 1556. 8. p. m. 284.



Gallum cancro intestini coli obiisse, qui ex obstructo per calculum biliarium ductu cholodocho, et bile propterea ad colon deposita, ortus sit, aut mulierem Venetam cancro uteri extinctam esse, simili ratione progenito: in ipsius enim cadavere inventam esse totam vesiculam felleam, calculo instar cristalli pellucido totam ita repletam et distentam, ut ne guttulam quidem bilis liquidae recipere posset, quae continuo secreta ad uterum migraverit atque carcinomatis uterini caussa evaserit, haud dubie mala haec ad ulcera serpentia et cancroidea magis, quam ad cancrum verum referenda esse, quis non videt? Idem iudicium ferendum esse de illo aegroto, cuius historiam I. EHRH. TRAMPELIVS <sup>61)</sup> descripsit. Nam mercator Amstelodamensis quinquaginta annorum, cum mos maxime regnaret corticem Daphnes Mezerei tanquam exutorium extrinsecus adhibendi, idem remedium femori adplicabat sinistro, in cuius superiori parte ulcus sese paulo ante aperuerat. Post mensium aliquot spatium cutis, cui impositus erat cortex Mezerei, crassescere atque indurari coepit; accedebant dolores; color cutis obscure coeruleus fiebat, exiguis foraminibus hinc inde hiántibus, quae ichorem edebant, brevissimo tempore omnem fere femoris carnem absumentem. Quam quidem destructionem haustus mercurius dulcis paululum coërcuit, iunctus autem cum externo usu mercurii sublimati corrosivi penitus sanavit. Neque aliter statuere possum de barbae evulsione, quam PTR. VERDVYNVS <sup>62)</sup> testa-

61) *Med. und chirurg. Bemerk.*  
Gött. 1793. 8. p. 45.

62) *Observatt. chirurg.* L. B.  
1693. 8.



tur cancrum produxisse, de verruca in fungosum cancrum mutata <sup>63)</sup> deque gastricis vitiis et arthritide, quas ut cancri causas accusant POUTEAU <sup>64)</sup>, LERCHE <sup>65)</sup>, RICHTERVS <sup>66)</sup> aliique. Denique nec eidem AVG. GLIEB. RICHTERO assentiri possum, cum cancrum progigni posse contendit a larvato venereo, scrophuloso, scorbuticoque vitio, aut ab exanthematibus retro pulsus, aut ab evacuationibus suppressis <sup>67)</sup>. In omnibus enim, quos enumeravi, casibus malum certissime, quamvis foedum ac terribilem adspectum offerret, curandique methodis adhibitis pertinacissime resisteret, tamen a cancri genuini longissime aberat natura.

A scirrhus cum quilibet cancer verus originem trahat <sup>68)</sup>, ille autem a pressu glandulae oriri posse existimetur, hinc etiam inter causas cancri plerique chirurgi ictum aut pressionem quamcunque, imprimis si diu duravit, in glandulam retulerunt. Nonnulli tantum ab hac communi sententia recedere ausi sunt, inter quos refero PEYRILHEVM <sup>69)</sup>, LEVR-

63) Vid. *Neueste Sammlung für Wundärzte*. Th. II. p. ....

64) *Oeuvres posthumes*. Tom. I. à Par. 1783., ubi prima statim dissertatio de natura cancri et remedio, adversus illum commendato, aqua nempe glaciale, exponit.

65) Diss. LAUDATA p. 22. adfert exemplum feminae, ulcere mammae pessimo, a multis medicis doctis atque expertis pro cancro habito insanabili, quae inter tres sep-

timanas solo interno Glauberi et tartari emetici usu sanata fuit.

66) Vid. *Ei. Chirurg. Biblioth.* Th. VII. p. 300. et *Anfangsgr. der Wundarzneik.* Th. I. p. 288.

67) *Ibid.* §. 464.

68) Contrariam sententiam adfirmat I. G. V. SCHAEFFERVS quidem (*Versuche a. d. theoret. Heilkunde.* Th. II. p. 198 et 212.), sed idoneis argumentis minime firmavit.

69) *Diss. cit.* §. 13.



sivm 70) atque ADAMSIVM 71). Scilicet cum viderent, glandulas interdum vehementer a caussis externis affligi, nec tamen cancerum inde oriri, negabant omnem omnino vim atque efficientiam harum caussarum in declaranda canceri origine. In quo quidem haud dubie a veritate aberrasse mihi videntur. Nam exempla quam plurima cuilibet attento rerum observatori in promptu erunt, quae luculentissime probent, post praegressam compressionem partis glandulosae diuturnam aut vehementiorem scirrhus nasci, qui tandem in cancerum degenerent. Dein et nimis longam temporis spatium inter ictum aut pressionem, glandulae adplicatam, et mali originem intercedere aiunt, quam ut inter utrumque nexus caussalis locum habere possit. Denique et hoc, quod, qui ab eiusmodi causa externa generatus esse dicitur cancer, facilius curari queat, quam ab internis caussis productus, probare ipsis videtur, priora mala minime ad verum cancerum referri posse. Genuinus enim cancer semper eadem malignitate terret.

Cessantia menstrua quoque magnam vim habere aut in generando cancro, aut in natura generati canceri in peius mutanda, communis fere omnium medicorum obtinet sententia. VNUS PETR. CAMPERVS, contrariam sententiam defendere ausus, menstruorum fluxum neque imminutum, neque penitus interruptum aliquid conferre ad illius mali malignitatem augendam contendebat 72). Putabat enim malum

70) *Loco laud.* §. 151.

71) *Libr. citato.* p. 146.

72) *Genees-natuur-en huishuid-*

*kundig Kabinet.* 1779. No. 3. pag. 194. et in *Samml. für prakt. Aerzte.* Th. XII. p. 513.



a primâ eius origine sensim crescere, et satis longo temporis spatio opus habere, usque dum doloribus, dies noctesque aegrotos vexantibus, reliquaque symptomatum cohorte de vera natura sua aegrotos reddiderit certiores. Incidere autem illud tempus in eam plerumque aetatis periodum, qua menstruorum cessatio maximas in oeconomia corporis muliebris turbas excitare soleat. Sed minime accusandum esse menstruorum fluxum de natura canceri maligniore facta; hanc autem solam pendere a temporis diuturnitate, qua malum eo perduratur, ut infelicissimi exitus metu haud temere angi debeant aegrotae. Hanc de menstruorum cessatione tanquam exacerbationis canceri caussa opinionem, quae inde ab antiquissimis temporibus invaluit et hodie adhuc a celeberrimis viris, v. c. RICHTERO *l. c.* §. 428., defenditur, inde haud dubie si non ortam, at certe probabilem redditam fuisse, putat CAMPERVS, quod olim sanguis menstruorum pro impuro atque corporis excremento habitus sit, quod si retentum in corpore fuerit, omnia mala, a corruptis succis progenita, peiora redderet. Cuius sententiae falsitas cum nostris temporibus a nemine ignoretur, non posse quoque illud, quod huic opinionis tanquam fundamento superstructum est, amplius stare. Denique et in maribus idem phaenomenon observari, periodicae illius evacuationis expertibus: glandulas enim induratas versus quinquagesimum aetatis annum in cancerum apertum transire 73). Quae quidem argumenta, a CAMPERO prolata, quamquam non omnino levia sunt, sed

3) Vid. LE DRAN *Mém. de l'acad. royale de Chirurg.* Tom. III. p. 19.



aliquam probabilitatis speciem habent, tamen haud ita comparata esse videntur, ut penitus persuadeant. Nam cum, ut paulo post pluribus ostendetur, nervi maximum habeant momentum in generando scirrho, eoque in apertum cancerum mutando, menstrui autem fluxus sive subitanea, sive paulatim contingens suppressio vehementissimos interdum systematis nervosi motus cieat, mihi quidem consuetae huius excretionis suppressio haud omnino insons esse, sed potius in immutanda scirrhi aut canceri natura multum efficaciae habere videtur 74). Hinc haud flocci pendenda est POUTEAU 75) observatio, cancerum mammarum, cui externa caussa haud subsit, ex utero oriri, quoniam omnium frequentissime eo tempore, quo menstruatio soleat cessare, aut oriatur, aut in peius mutetur. Eandem menstrui fluxus dignitatem in aliis quoque morbis, imprimis exanthematicis, observari constat, qui si cum menstruo fluxu simul corpus invadunt, plerumque graviores, et saepe lethales esse solent. Quam ob rem CAMPERVM puto plus paradoxiae, quam veritatis studio dedisse, cum menstruo fluxu imminuto aut penitus suppresso scirrhi cancrive malignitatem augeri negaret.

Maiore iure animi adfectus ii, qui vim vitalem infrungunt, v. c. diu perdurans moeror, tristitia, anxietas, metus, amor de felici exitu desperans, inter causas referuntur, quae scirrhis atque cancro originem praebere possunt. E multis,

74) Eiusdem sententiae patronum video laudatum modo SCHAEFFERVM l. c. p. 204.

75) *Oeuvres posthumes*. Tom III. Suppl. p. 357 ss.



quae in scriptis medicorum leguntur, exemplis non nisi pauca tantum delibabo. CHRIST. KLEINUM 76) legi observasse, animi moerorem inter omnia, quae in scirrhi naturam in peius immutandam agere possint, longe efficacissimum esse, quippe qui exiguum scirrhum, per duodecim annos sine doloribus aliisve incommodis subsistentem, intra trium septimanarum spatium ad pomi magnitudinem auxerit, atque elapsis vix septem septimanis in cancrum apertum, cum vehementissimis doloribus coniunctum, transmutaverit. In alia femina, multis aerumnis afflicta, cancrum a prima ipsius origine intra triginta septimanarum spatium in apertum transiisse idem Vir experientissimus vidit, indeque regulam deduxit, in operatione mali minime negligendam. Hanc enim si semel natura mali necessariam fecerit, haud diu esse differendam, ne metus, quem glandulae induratae resectio plerisque incutere solet, scirrhum benigniorem in ferissimum ulcus cancrum mutet. Illustris SWIETENIUS 77) mulierem admodum sanam narrat, a subitaneo terrore afflicta fuisse tumore in mamma, qui, quamquam aptissimis remediis tractatus, tamen in scirrhum prorsus insanabilem mutatus fuerit. ST. I. A. ALBRECHTUS similem terroris effectum observavit in muliere, quae cum audisset, alii mulieri subeundam fuisse cancri aperti operationem seu mammae carcinomaticae resectionem, hoc nuntio ita perterrefacta fuit, ut altero iam die durum sentiret in mamma nodum, qui magnitudine ovum

76) *Chirurg. Bemerk.* Stuttg. 1801. 8. §. 259 sq.

77) *Comment.* in H. BOERHAAVE. *aphor.* §. 27. Tom. I. p. 190.



gallinaceum referret etsi relictus sibi aut inepte tractatus fuisset, in verum cancrum abiisset. Porro legi feminam a vehementi moerore contraxisse cancrum fungosum, qui sanatus sit diuturno mammae suctu, a catulo peracto <sup>78)</sup>. Io. GEO. ZIMMERMANNVS plane consentit cum laudatis viris in definiendo hoc pernicioso terroris in glandulas effectum <sup>79)</sup>. PETR. BIERCHENIVS denique in feminis mollioribus putat mammarum cancrum omnibus omnino animi commotionibus produci posse <sup>80)</sup>. Quae cum ita sint, cumque nervorum maxima vis atque efficientia in scirrho producendo et in cancrum mutando negari nequeat, unde et CALLISENIVS eas glandulas scirrhosas citius in cancrum apertum abire ait, ad quas multi nervi decurrant <sup>81)</sup>, reprehendi haud omnino possunt, qui, uti supra vidimus, omnem scirrhi atque canceri naturam a nervis derivare conati sunt.

## §. 6.

### *Prognosis canceri.*

Omnem respuit sanationem cancer, qui locum occupat, ad quem culter haud commode penetrare potest, aut qui diu iam apertus omnem humorum massam infecit. Quam quidem universam humorum a resorpto ichore cancroso corruptionem

78) Vid. GESSNER's *Entdeckungen in der Arzneiwissenschaft*. Th. II. Abth. 2. §. 185.

79) *Von der Erfahr. in der Arzneiwissenschaft*. p. 555.

80) *L. c.* p. 15.

81) *System der neuen Chirurg.* Th. II. §. 185.



factam esse intelligimus e pluribus tumoribus, hinc inde enatis, e doloribus rheumaticis, qui aut in coxis sub mali ischiadici forma, aut in maxilla superiore aegrotos divexant, atque e lippitudine magna atque pertinaci. — Occultus cancer, modo neque ab humorum dyscrasia, neque ab externis caussis irritamentum accesserit, diu tolerari potest, priusquam in apertum abit. Hinc iam HIPPOCRATES recte praecepit, melius, quibus occulti cancri sint, non curari, quoniam longius vitam trahant, quam si medicatione tententur <sup>82)</sup>. — Apertus autem cancer exstirpationem admittit, modo enumerata absint resorpti miasmatis carcinomatici signa, et corrupta glandula undique libere moveri possit, aut, ubi hoc fieri nequit, partes, quibuscum concretus est cancer, cultro aut remedio auferri possint. In mammis accedit et hoc, quod glandulae subaxillares minime tumidae atque induratae esse debent, nisi de eventu operationis chirurgus dubius ancepsque haerere debeat. Quamquam etiam varia legi feminarum exempla, quibus mammae cancer, qui iam proximas glandulas, sub axilla reconditas, in vitii societatem traxerat, felicissime exstirpatus fuit. — Novum autem signum in mammae cancro observatione indagavit PETR. CAMPERVS, e cuius praesentia certius, quam ex induratis glandulis subaxillariibus, exstirpationis cancri inutilitatem praesagire posse sibi visus est. Si enim aegrotae eo thoracis loco, quo arteriae mammae internae e pectoris cavitate in interstitio secundae et tertiae costae verae emergunt, dolores pungentes atque

82) *Aphor. Lib. VI. §. 38.*



saepius recurrentes sentiunt, ab operatione abstinendum est, quippe quae, etiamsi dexterrime instituta, tamen mali reditum impedire nullo modo poterit, quoniam e doloribus pungentibus, in pectoris cavitate sentiendis, recte concluditur, glandulas, ad interiorum costarum superficiem positas, cancro labe quoque adfectas esse <sup>83)</sup>. Locum illum accurate depinxit CAMPERVS in *Demonstr. anat. pathol.* Lib. I. Tab. I. fig. II. lit. 48. 49. 50. — Quamvis autem magni faciam CAMPERVM, ipsique multum auctoritatis tribuam, tamen veritati hoc debeo, ut libere profitear, illud signum in femina, quae cancro mammae correpta ad nostrum institutum clinicum confugit, minime adfuisse, etsi, mamma amputata, cancer recrudit in glandulis subaxillaribus, penitus antea ab omni induratione liberis. Cuius quidem feminae historiam, benivolentia Experientissimi CLARI, quo praeceptore ac magistro me usum esse maximopere laetor, mecum communicatam, ipsis auctoris verbis hoc loco subiungere liceat.

„Mulier XLVII annos nata, scrophulosae constitutionis, ac temperamenti sanguinei, facillime superatis morbis infantilibus, circa annum aetatis septimum adfecta est doloribus, quos rheumaticos fuisse contendit, motum maxime inferiorum artuum impredientibus, sed nunquam postea reversis. Licet praematurum propemodum fuerit staturae ac virium incrementum, ita, ut annum agens duodecimum annorum stipendia apud rusticum facere valeret, tamen catamenia haud prius, quam circa vicesimum aetatis annum

83) *Samml. für prakt. Aerzte.* Th. XI. p. 518.



„comparuerunt, deinde vero ad hunc usque diem legitimis  
 „intervallis redierunt. Anno vicesimo tertio febre intermit-  
 „tente quotidiana, post tertium paroxysmum sudore copioso  
 „iudicata, correpta fuit. Eodem anno herpes crustosus efflo-  
 „ruit in brachio sinistro et cicatricem ibi reliquit, adhuc con-  
 „spicuum. Ceterum, si exceperis sudorem pedum graveo-  
 „lentem, nunquam suppressum et hodie adhuc superstitem,  
 „semper bona valetudine usa est. Ante XIX abhinc annos hor-  
 „tulano nupta sexies peperit, singulosque infantes lacte nutri-  
 „vit suo, ita quidem, ut plerosque eorum haud prius, quam  
 „secundo aut tertio post partum anno ob uberibus removeret.  
 „Factum autem est, cum pusionem primogenitum lactaret,  
 „ut ex animi pathemate, quarta circiter a puerperio septi-  
 „mana mamma dextra dura fieret, inflammaretur atque tandem  
 „abscederet. Neque tamen ea re se impediri passa est, quo-  
 „minus isti infanti alteram mammam praeberet, reliquis vero  
 „utramque, licet ex eo tempore in mammae dextrae superiore  
 „parte tumor, pomum Borsdorffianum magnitudine aequans,  
 „remanserit, lactationis tempore semper durior factus. Negat  
 „autem aegrotata, se vel in ipso tumore, vel eo loco, ubi  
 „arteriae mammae externae ad mammas prodeunt, dolorem  
 „aut molestiae quid unquam sensisse. Annum aetatis XLVI  
 „feliciter adsecuta cum tredecim abhinc mensibus amphoram  
 „portans lapsa ad huius ansam mammam dextram allisisset,  
 „repente ibi natus est nodus mobilis, fabae maioris ambitum  
 „et formam habens. Memoratu dignum est, quod locus ille,  
 „ubi prius intumuerat mamma, non mutatus fuerit, sed novus



„tumor inferiore quodam loco, circa sextam aut septimam  
 „costam sese primum prodiderit. Et nunc quoque in regione  
 „originis arteriae mammariae externae, dolor observatus est  
 „nullus. Eo magis vero novus tumor et doluit et repente  
 „crevit, mox autem superhabito cataplasmate e cepis tostis  
 „et cerevisia, et inde orta inflammatione erysipelatosam, in  
 „ulcus apertum et carcinomatosum, ichorem foetidum et  
 „acrem fundens, degeneravit. Reliquus mali decursus nihil  
 „habet, quod singulare dici possit, nisi quod saepius inflam-  
 „mationibus erysipelatosi tam ipsius mammae, quam brachii  
 „obnoxia fuerit aegrotam.“

Nolo autem hoc uno exemplo id efficere, ut signi illius  
 Camperiani falsitatem inde deducam, nam eius veritas ex aliis  
 exemplis elucere videtur 84), sed ut observatorum animos  
 ad illos dolores magis, quam fortasse hactenus factum est,  
 advertam. — A lentiore quoque mali incremento laetius prae-  
 sagium repeti solet. Nam quo lentius augetur canceri moles  
 atque durities et quo tardius, quae supra allata sunt mali  
 huius symptomata, sese produnt, eo magis ad benigniorem

84) Dum haec scribebantur, ad  
 Experientissimum LÖRGIVM accessit  
 mulier, cancro mammae dextrae  
 laborans aperto, quem ex ictu ver-  
 sus mammam contraxit. Hanc  
 aegrotam audiui multum de dolo-  
 ribus, in ipsa pectoris cavitate ad  
 illum, a CAMPERO indigitatum lo-  
 cum saevientibus, conquerentem.  
 Denique etiam Experientissimus

CLARVS mecum benevole communi-  
 cavit historiam feminae, cui a  
 Mursinna et alio haud incelebri  
 chirurgo Berolinensi utraque mam-  
 ma diversis temporibus propter  
 cancerum apertum amputata fuit,  
 et quae nunc doloribus urentibus  
 sub secunda et tertia costa vera  
 prope sternum admodum excru-  
 ciatur.



morbi naturam, si tam fero malo benignitas tribui omnino potest, concludere licet. Si optima ceteroquin sanitate fruitur aeger, humoresque nullo [vitio inquinati sunt, spes est, fore, ut cancer intra angustos, quibus circumscriptus est, limites contineri, atque felicissimo cum successu exstirpari possit. Caeterum quamvis symptomata adsint terrentia, animum tamen minime abiiciendum esse, neque ab omni operatione abstinendum, prudenter monet CALLISENIVS l. c.: eam enim interdum praeter omnem omnium spem atque expectationem felicissimum habuisse eventum.

§. 7.

*Curatio canceri.*

Si verum esset, quod PETR. CAMPERVS <sup>85)</sup> atque IOS. ADAMSIUS <sup>86)</sup> statuerunt, verum cancrum neque internis, neque externis remediis ad perfectam sanationem perducere posse, brevissimus esse possem in hac meae dissertationis parte exponenda. Sed cum multa sanatorum in variis partibus cancrorum exempla legantur, sive remediorum adhibitorum vis vere fuerit tanta, ut dirissimi mali ferociam domare possent, sive accuratae diagnoseos mali defectu, pro cancro morbi, natura sua plane diversi, habiti sint, non omnino silentio hoc praeteribo argumentum, sed pauca, quae in variis de illo legi scriptoribus, addam.

Initium faciam a scirrhi, unde quilibet cancer oritur,

<sup>85)</sup> *Samml. — für prakt. Aerzte.*  
Th. XI. p. 514.

<sup>86)</sup> *Libr. cit. p. 137.*



curatione. Haec autem duplici modo tentatur, aut resolvenda induratione, aut, si haec perfici haud potest, exstirpatione. Sed cum, recte monente Cel. RICHTERO 87) scirrhus diversissimo modo sese gerat, nunc per omnem aegroti vitam benignam indolem tuendo, nunc brevi in cancrum abeundo, nunc remediis solventibus facile cedendo, nunc pertinacissime resistendo, nunc exstirpatione pereundo, nunc semper post operationem recrudescendo, videtur natura huius mali, uti idem de cancro superius ostensum est, maxime diversa esse, atque plures continere formas, quarum cuilibet quodnam remedium imprimis competat, difficillimum iudicium erit. Hoc haud dubie in caussa fuit, quod amplissima medicamentorum farrago, empirice in usum vocata, aegrotorum spem nunc destituerit, nunc expleverit. Resolventia autem medicamenta non nisi tunc videntur indicata, cum scirrhus a lapidea duritie multum abest, exiguae magnitudinis et recentioris originis est, causamque habet manifestam. Neque minore cura ac providentia opus est in deligendis hisce remediis. Etenim quo magis suspecta scirrhi indoles est, eo mitioribus medicamentis uti medicum oportet. Quorum efficientia cum sit tardior, diligenter a medico animadvertendum est, an sub continuato ipsorum usu valetudo aegroti labefactetur, aut in scirrho mutatio quaedam observetur, unde ad propensionem mali in cancrum probabilis coniectura fieri possit. Nam tunc statim ab omnibus medicamentis abstinendum, et ad exstirpationem tanquam ad sacram ancoram

87) *Anfangsgr. d. Wundarzneik.* Th. I. §. 425.



confugiendum est. Cum remediorum usu apta diaeta coniungenda erit, ad quam animi quoque adfectuum regimen referendum, quorum, ut supra vidimus, magnum momentum est in natura mali in deterius immutanda. Hanc strictiorem dietam solam tunc efficacissimum remedium praebuisse, cum actum et conclamatum esse videretur, suo usu atque experientia aliquoties didicit CALLISENIVS *l. c.* §. 186. Nec negligenda tumoris scirrhusi cura externa, qua omnis pressio frictiove sollicite arcenda est, imposita tumori pelle cuniculi aut talpae praeparata, qua pars adfecta simul perpetuo et aequali calore foveatur, qui resolutionem potenter iuvare potest. Sin scirrhus omni resolutioni pertinaciter resistit, eius moles atque durities augentur, doloresque lancinantes tumorem fulguris instar penetrant saepiusque recurrunt, tunc summa cultrum adhibendi necessitas instat et urget, ne scirrhus in cancrum occultum, tandemque apertum transire possit.

Specificae, quae contra cancrum laudata sunt, remedia saepissime spem de iis conceptam destituerunt. Quam ob rem nolo in illorum consideratione diu haerere, imprimis cum hoc argumentum ab ERN. BENI. GLI. HEBENSTREITIO <sup>88)</sup>, CHR. GODFR. WHISTLINGIO <sup>89)</sup>, et IO. PH. GV. KOEHLERO <sup>90)</sup> nuper sit ex instituto tractatum. Etenim horum trium virorum primus satis longum remediorum catalogum exhibuit, quae

88) *Zusätze zu BENI. BELL's Abhandl. von den Geschwüren und deren Behandlung.* Leipzig, 1793. 8. p. 227 — 253.

89) *Aeltere und neuere Kurme-*

*thoden des offenen Krebses etc.* Altenb. 1796. 8.

90) *Diss. de variis ad cancrum medicamentis.* Ien. 1800. 4.



contra cancerum commendata fuerunt. WHISTLINGIUS autem, qui in possessionem formularum venerat, quas KORTHOLTUS, medicus quondam Silesiacus, secutus est in suis remediis preparandis, quae arcana habita a medicis Vratislaviensibus maximopere laudata sunt, noluit illas formulas solas exhibere, sed augere, uti libere fatetur, libelli molem. Quam ob rem quae ipsi in promptu erant de remediis adversus cancerum celebratis, ea sine ordine et iudicio suo, praemisit historiae medicamentorum Kortholtianorum. Denique KOEHLERUS nonnullas tantum medicinas, quibus multum laudis tributum est in domando cancro, v. c. arsenicum, mercurialia, Atropam Belladonnam, Conium maculatum et Kortholti medicamenta sibi considerata sumsit, et quae de illis in medicorum scriptis legerat, diligenter collecta diiudicavit. Praeter hos triumviros GVIL. GODOFR. PLOUCQUETUS <sup>91)</sup> multa remedia profert, quae contra cancerum adhibita leguntur. Quam ob rem minime mihi videor taxandus esse, quod cramben ter coctam hoc loco recoquere noluerim, inprimis cum me legere bene meminerim, omnia omnino remedia, quae unquam contra dirissimum hunc morbum commendata fuerint, plane nihil valere ad canceri sanationem efficiendam. Cuius quidem sententiae veritatem una cum aliis haud obscuris inter Batavos chirurgis LEVRSIUS l. c. §. 214. inde probare conatus est, quod propositum centum aureorum Hollandicorum praemium, si quis

91) *Litteratura med. digesta.*  
Tübing. 1808. 4. p. 236 — 240.  
cui add. CALLISEN. l. c. Th. I.

§. 750 et RICHT. Th. I. §. 439 — 441.



se verum cancrum sanasse vel uno exemplo extra omnem dubitationem posuerit, a nemine fuerit reportatum. Quod iudicium si alius summi viri auctoritate adhuc muniendum esset, PETRI CAMPERI exemplum laudarem, qui cancrum verum ullis unquam remediis perfecte sanari posse negavit <sup>92)</sup>.

Quae cum ita sint, in exstirpatione videtur unicum salutis remedium quaerendum esse. Hanc autem maturandam esse, auctor est PET. CAMPERVS, ne virus cancrosum generari, generatumque per omnem humorum massam diffundi possit <sup>93)</sup>. In qua quidem sententia CAMPERO assentitur ex parte RICHTERVS *L. c.* §. 445. cum initium curationis a remediis internis externisve fieri, iis autem inefficacibus, statim ad operationem ipsam transire iubet. Et POUTEAU ipse, quamvis aquam e nive aut glacie liquefactis paratam copiosissimeque potam, qua aegroti tanquam solo nutrimento uti debeant, multum celebret, tamen ut operatio in quovis cancro vero, exstirpationem admittente, quantocyus instituitur, suadet <sup>94)</sup>. Etsi enim interdum sanetur malum sine exstirpatione, tamen hos casus non nisi exceptiones a regula offerre putat. Regulam autem esse, cancrum quemlibet a causa externa productum, remediis neque internis, neque externis tentandum, sed exstirpandum esse. Dum autem POUTEAU cancri ortum a causa externa tanquam rem commemorat, quae mali remotionem, cultro tentandam, admittat, omnes cancos, ab interna causa productos, ab exstirpatione exclu-

<sup>92)</sup> *L. c.* §. 3.

<sup>94)</sup> *Libr. cit.* p. 129.

<sup>93)</sup> *L. c.* §. 5. p. 517.



dere videtur. Idem quoque de eo cancro statuit, qui internas corporis partes, ad quas culter penetrare commode nequeat, invaserit, qui quidem ab illo minus apte, opinor, *occultus* vocatus est <sup>95</sup>). Ad quod canceri genus cum eum quoque retulerit, qui in utero sedem fixerit suam, haud scio, an sententiam suam contra OSIANDRUM non recte tueri possit, qui uterum carcinomatosum, ex abdominis cavitate protractum, cultro auferre haud dubitat.

Sed nec semper exstirpationem tutissimum contra cancerum remedium praebere, et ingenue fassus est RICHTERVS <sup>96</sup>), et quotidiana experientia quemlibet docere potest. Scirrhus quidem, optime exstirpatus, vel in eadem, quam prius occupavit, vel in alia parte denuo redire solet, inprimis si dispositio quaedam ad scirrhum quasi hereditaria adest. Cuius quidem rei IO. BAPT. PALLETTA luculentum observavit exemplum in femina robusta, bene nutrita ac rite menstrua, quae ubi scirrhum pugni magnitudine in mamma dextra ab ictu reportaverat, dolere incipientem, medici sui consilio et auctoritate illum sibi exstirpari passa est. Sed, nondum elapso anno, novus scirrhus in eadem mamma ortus, exstirpatione auferendus erat: glandulae quaedam prope papillam paululum induratae, in suppurationem abibant, sed neque solutione mercurii sublimati corrosivi, extractoque cicutae intus sumtis, neque externo usu foliorum belladonnae atque succi solani aut dolorum vis imminui, aut vulnus sanari poterat, potius fungi cancriosi inde propullulabant, dolorum

95) L. l. p. 125. not. l).

96) Loco adduco. §. 444.



furor dies noctesque intendebatur, atque insomniis aegrota vexabatur ita, ut mammae amputationem efflagitaret. Quam quidem etsi dexterrime PALLETTA perfecerat, et remediis idoneis hanc, quae aegrotae inhaerere videbatur, ad scirrhum generandum propensionem emendare studuerat, tamen denuo durus isque rotundus scirrhus in margine vulneris, amputatione facti, oriebatur, qui, post dolores pungentes in ipso ortos, imminutus novo scirrho in glandulis subaxillaribus oriundo locum dedit, qui post dirissimos dolores ac erysipelata crebriora tandem duobus locis exulcerans multum foetentis ichoris fudit. Tandem misere confecta mulier obiit. Praeter hanc morbi historiam PALLETTA duas alias attulit, quibus probare conatus est, scirrhum exstirpatum aut partem canerosam resectam haud semper malum ita radicitus tollere, ut nunquam recrudescat. Qua in re ALEX. MONROVM 97) et IAC. HILLIVM 98) consentientes habet; quorum ille e sexaginta mulieribus, quibus scirrhi et canceri exstirpati fuere, non nisi quatuor, hic, meliore usus successu, ex octoginta octo perfectae sanitati restituit septuaginta sex et ab omni mali reditu liberavit. Crebriorem hunc mali reditum FEARONVS quidem a perversa operationis methodo et neglecta simul post exstirpationem susceptam apta curatione derivat, sed temere, opinor. Potius PALLETTAE assentior, qui propterea malum saepius, vel post exstirpationem a peritissimo chirurgo institutam, recrudescere contendit, quod adsit quaedam diathesis

97) *Edinburg. Versuche*. Bd. V.  
1. p. 542.

98) *Chirurg. Beobacht.* Leipzig,  
1777. 8.



cancrosa, nullis remediis coërcenda 99). Praeter hanc ad scirrhum cancrumve propensionem alia quoque a RICHTERO commemorantur, quae exstirpationem inutilem reddant, v. c. si internas agnoscit malum causas; si inde a prima ipsius origine continuo increvit atque haud diu ante in alia parte scirrhus novus formatus est.

Vnum adhuc est, quod scirrhi cancrive curationi, in universum spectatae, addam. Etenim RICHTERVM lego statuentem, interdum cancrum ipsum e scirrhi exstirpatione oriri posse. Quod quidem si verum est, nec e paullo ante commemorata diathesi cancrosa derivari potest, haud videtur aliunde repetendum esse, quam a negligenter peracta operatione. Nisi enim omnia summa cum diligentia cultro absumta fuerint, quae iam aliquo modo in vitii societatem venisse, duritiae sua praeternaturali demonstrant, malum non solum recrudescet, sed in peiorem adeo naturam abibit. Interdum autem ratio partium adfectarum impedimentum obiicit chirurgus haud superandum, quominus omnes induratas telae cellulosaе, vasorum, carniūque partes cultro auferre possit. Quam ob rem operatio haud debet praecipitari, sed summa cum diligentia omnia perscrutanda sunt, ut, quae suspicionem aliquam moveant, resecantur. Si talia procedente tempore sese prodiderint, magis a cultro, quam a causticis auxilium exspectaverim 100).

99) Vid. WEIGEL's *med. chirurg. Bibl.* Bd. III. 2. pag. 199 — 225. IV. 1. p. 67 — 72.

100) CONS. BELL's *Abhandl. von den Geschwüren und deren Behandl.* Zweite Ausg. Leipz. 1792. 8. p. 211.



Viam ac rationem, qua chirurgus in hac ipsa operatione instituenda progredi debeat, exponere nec lubet, nec vacat. Nam dissertationis moles ultra praescriptos fines aucta iam est, nec suppetit tempus, quo quae de hoc argumento in chartam conieceram, curatius elaborare et quasi subigere potuissem. Itaque nunc propero ad remedii, contra cancrum labiorum et faciei utilissimi, hactenus pro arcano habiti, declarationem.

§. 8.

*Remedii ad cancrum labiorum et faciei utilissimi  
declaratio.*

Cum pluries contenderim, cancrum genuinum neque internis, neque externis remediis sanari posse, atque vanas esse laudes, quibus medicamenta quam plurima, quae specifica virtute contra hunc dirissimum morbum agere dicta sunt, medici atque chirurgi extulerint, mirum profecto videbitur, me tamen nunc tale medicamentum proferre, prolatique vires egregias laudare. Sed incidunt tempora, quibus aut exstirpatio plane non, aut non perfecta institui potest, aut denique aegroti omnem omnino culti usum vehementissime reformidant. Crudelissimum foret, aegros tales miserae sorti suae relinquere et ne anceps quidem remedium tentare. In eiusmodi casibus, quibus CALLISENIUS <sup>1)</sup> addit et illos, cum aut signa ichoris carcinomatosi resorpti adsint, aut corporis

<sup>1)</sup> *Libr. citat.* Th. II. §. 186.



constitutio viresque aegroti ita sint comparatae, ut operationem et quae illam sequuntur, perferre nequeant, meum remedium utile esse poterit.

Formula autem medicamenti haec est

Rec. Arsenici albi,  
Nitri depurati,  
Salis tartari,  
Radicis Ari maculati, singulorum unciam,  
Fuliginis splendentis, qualem ligna resinosa  
praebent, tantum, quantum sufficit, ut pulvis subtilissimus, ex intima miscela horum ingredientium productus, colorem habeat obscure griseum.

Serva vitro probe clauso.

Huius pulveris, qui, quo longiore ante usum tempore praeparatus est, eo efficacior esse solet, quantitas, ulceris magnitudini respondens, vasculo, theae infuso bibendo destinato, immittitur. Nunc erioxyli tantum, quantum sufficit ad cancrum penitus obtegendum, in plumaceoli formam reductum, saliva probe imbuitur, atque in pulvere tam diu volvitur, ut inde pultacea massa paulo spissior formetur, quae cancro aquae tepidae ope purgato, erioxylo excepta, admovetur ita, ut omnem omnino partem adfectam probe obtegat. His pulvillus impositus idonea fascia firmatur. Post elapsam viginti quatuor horarum spatium, citius serius, vehementior cum tumore insigni oritur inflammatio, cuius vehementia medicum haud eo adducere debet, ut ad cataplasmatum emollientium usum prius confugiat, quam dolores



pungentes eum furoris gradum attigerint, ut tolerari amplius haud possint, atque limites in conspectum venerint, quibus vitiosae partes a sanis seiunguntur atque segregantur. Iam tertio die ulcus sulco circumduci solet, cui fibrillae quaedam lintei carpti, linimento madidae e terebinthinae communis uncia una cum dimidia et vitello ovorum uno confecto, immittuntur. Oportet autem chirurgum sollicite abstinere, ab omnibus instrumentis metallicis, nec alia, quam lignea adhibenda sunt. Quo magis id, quod cancroso labe infectum est, a sanis partibus recedit, eo plus lintei carpti, unguento descripto imbuti, caute immittendum est. Ita vitiosum omne, undique separatum, die sexto aut octavo removeri potest. Sin haec separatio nimium lente processerit, opus est, ut pulveris supra commemorati paululum inspergatur, ita tamen, ut ille nequaquam partes tangat, quae iam a vitiosis separatae conspiciuntur. Id autem efficitur, modo hae ipsae partes multo linteo carpto deligentur. Cancer undique separatus summa cum cautione removendus est. Etenim interdum cum subiacentibus partibus iam die secundo a pulveris adplicatione tam firmiter adhuc cohaeret, ut, si separationem escharae vi efficere chirurgus velit, multum damni sit aegroto allaturus. Primaria enim felicitis successus conditio haec est, ut eschara undique soluta sit, antequam ipsius remotio tentari possit. Remota eschara ex ulceris puri fundo papillae carnae propullulare solent, quae adhibito unguento, paulo ante commemorato, fotae cicatri-



cem tandem inducant firmam. Regimen per totum curationis tempus inflammationi contrarium esse debet. Ab initio diaeta convenit lactea, praeterea extractis leniter amaris, quibus addi possunt salia media leniora, utendum, serius denique repetita purgatione alvus ducenda est.



ERNESTVS PLATNERVS

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

INDICIT

---

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS

XLII. PVBLICE CVRANDAE VALETVDINIS PRAESIDIA, IN CIVI-  
TATE, IVRE PLENO DESIDERARI OSTENDITVR.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



**S**i posterī olim admirabuntur et dignis laudibus extollent incomparabilem industriam atque diuinum meritum eorum, qui ex artis medendi litteris nuper publice curandae valetudinis humanae scientiam quandam et artem compararunt, atque ita medicinae politicae, cuius antehac ne nomen quidem audiebatur, non modo inuentores, sed amplificatores quoque et perfectores extiterunt: difficulter credent, quod ipsis nobis, eorum temporum aequalibus, incredibile videatur, fuisse nostro saeculo, ad omnem cultum ciuilem conformato, Germanos homines ea lentitudine ac tarditate, vt hoc nouum et insigne praesidium salutis communis initio, praeterquam in academiis, parum cognosceretur, postea vero languide ac sero, per assiduas demum preces medicorum, a prudentiae ciuilis administris, nec nisi parce admodum et restricte, adhiberetur. Ac ne hodie quidem res tam meliore loco est, quin multa querendi causa et maxima sit. Itaque circumspicienti mihi locupletem istum apparatus, quem pro hac nobilissima disciplinae publicae parte, post Ioannis Petri Frankii operam, Scherffii, Pylī, Metzgeri aliorumque his similium sollertia diligentiaque repertum et adornatum habemus, eadem nonnunquam oboritur miratio et aegritudo, vt quum



## IV

video amplissimas fortunas ac possessiones, talem dominum non habentes, qui eas cum hilaritate ac beneficentia in verum vitae fructum didicerit conferre. Quis enim non miretur ac doleat, tam praeclare inuenta et cogitata non solum non vigere in usu, sed jacere quoque in obliuione?

Verum vt difficile sit, talia in communem salutem peccata non animaduvertere cum aliquo stomacho: tamen cauendum est, ne, haud satis perspectis rei causis, reprehensiones praeposteras et iniquas expromamus. Nam libera est quidem indignatio; sed ita vt careat indignitate. Quod iis praeceptum velim, qui, simulatque hunc locum, vel in sermonibus familiaribus attingunt, ingens in rectores ciuitatum flumen fundunt querimoniarum inuidiosarum, cum incitatione, qualis fere solet esse oratorum seditiosorum. Etenim impedimenta medicinae publicae non vociferatione, sed subsidiis depelluntur. Subsidia autem vt idonea et valida parentur, mali nimirum fontes eruendi sunt aperiendique. Quod non arbitrentur se assecutos esse, qui pecuniae ad hos vsus paratae exiguitatem cognouerunt. Hi enim, quamuis in causa proxima nihil errant: tamen, quandoquidem non huius ipsius quoque causas inquirunt, parum proficiunt ad emendanda ea, quae vel maxime cupiunt emendari. Nam inopia illa et egestas ipsa in sese, et a suis causis seiuncta, lamentandi magis locum praebet, quam vel disferendi, vel consulendi. Igitur qui in ea una confident nec vnde ipsa exoriatur respiciunt, ii vel inscii ad tale sermonis genus delabuntur, in quo  
con-



conquestio remediorum locum occupat. Quapropter mihi aut prorsus ab hoc argumento abstinendum esse, aut ita verlandum existimaui, vt, cum agendo non possem, certe mali causas explicando et de remediis consulendo, aliquid operae viderer obtulisse.

Dicent illi animosiores, quid longinque repeta-  
mus, quae prope sunt et ante oculos posita? Nempe  
latis causae habet imperantium in his rebus parsimo-  
nia immoderata. — Immoderata igitur? Quid vero,  
si probatum fuerit, in ea nullum modum juris excedi:  
tamenne immoderatam eam putabitis? At enim haec  
non consideratis, ne, cum errore, vobis reprehendendi  
licentia eripiat. Est autem, in hac re, excusatio de-  
ficientium facultatum verior et grauior, atque vulgo  
existimatur. Vt enim in regno modice amplo, veluti  
Saxonico, schola medica, siue in academiis, siue in  
nosodochiis collocata, nullis docendi discendique copiis  
careret; vt artis obstetriciae seminarium floreret, cuius  
cultu oppidis omnibus et pagis succrescerent tum par-  
tus naturalis administreae, tum praeternaturalis mo-  
deratores, et vtrique ii probatae dexteritatis ac fidei,  
videndo magis et experiundo, quam audiendo et edi-  
scendo exercitati; vt nosocomia ampliora essent, vel,  
quod melius duco, numerosiora; vt medicis publicis  
digna stipendia praeberentur, cum quibus aliquanto  
plus temporis et industriae, quam pro ista vix mercedu-  
la, muneri suo impendere possent; ad summam et ne  
singula percenseam, vt in vniuersa hac parte nihil hia-  
ret, nihil dimidium et mancum relinqueretur: ad im-  
pensas eas, quae iam sunt qualicunque modo statutae,  
acces-



## VI

accessione annua opus foret non minus quinquagena millia numorum imperialium. Quae pecunia etiam si non immensa dicatur: tamen major est, quam ut de fisco publico, aut de aerario, extra ordinem tamque certe ac tuto addici possit, quin metuendum sit, ne subinde argentum numeratum haereat et insistat. Nam redditus, qui vel tributis, vel vectigalibus et portoriis, vel praediis publicis, (ea dico, quae a patrimonio imperantis diuersa sunt), vel denique juribus supremae potestatis peculiaribus, effici solent, maximam partem absumuntur per erogationes certas ac destinatas rei ciuilis et militaris, tum ministeriorum aulicorum aliasque. Ac si quid reliqui restat: prospiciendum est aerario, quod ad necessitates inopinatas nunquam non paratum et instructum esse debet.

En, inquiunt, imperantium quidem est illa suppeditare. — An igitur de suo? — Sane quidem. — At enim quo jure sumtus publici fisco priuato incumbant? Si, quod sponte intelligi potest, nullo: liberum imperantibus est, quid in ea re facere velint. Atque ita de postulatis ad preces deuoluimur. Verum ut diuina eorum benignitas et liberalitas sit: tamen, si quendam iustitiae modum seruare et aequa proportionem se distribuere volet, haud profecto magna et splendida esse poterit in genere vno. Taceo casus fortuitos bellorum et calamitatum aliarum, quarum interuentu mirum non est, eam maxime constringi atque debilitari.

Quae cum ita se habeant, ut impensae, quas diximus, de pecunia publica promi non possint sine dubitatione.



tatione, neque de fisco priuato exposci sine iniuria: haec vna nobis optio superest, vt curam valetudinis communis aut fortunae permittamus, aut certum pro ea et perpetuum tributum constituamus, siue in fundos, siue in capita describendum. Quid autem minus id consentaneum putetur in re tali ac tanta, nihil offensionis, imo vero etiam multum gratiae habitura, quam in tot aliis, quarum necessitatem populus difficulter credat, et difficilius quoque perspiciat? Quis, non dicam bonus ac fortis ciuis, sed prudens et consideratus pater familias, parum istud ac ferme nihilum, (totius quaestus annui vix bis millesimam partem), non grate ac laete vectigali tam modico praeberet, per quod non consilio obscuro alicui seruire, sed suae atque suorum vitae et incolumitati intelligeret prouideri? Atque vt hic illic aliqui ex imperita multitudine, tanquam de magno sibi onere imposto, clamarent: hi clamores mox sponte conquiescerent, experta rei vtilitate.

Magis metuendam foret, ne ii, quorum in talibus rebus maxime valet suffragatio atque auctoritas, huic tributo parum fauerent. Parum fauerent autem? Imo vero, ne vehementer ei et aperte aduersarentur. Eorum enim plerique futuri essent, qui dicerent: „Medicorum querimonias et postulationes ini-  
„quas esse, et philosophiae instinctu exaggeratas: mul-  
„ta, etiam apud nos, in hac parte, praeclare instituta  
„deprehendi. Quod passim aliquid lacunae occurrat:  
„id non magis mirum videri debere, quam quod ope-  
„ra humana omnia multum absint ab ea perfectione,  
„quam philosophi, id est homines umbratiles nullo-  
„que



## VIII

„que rerum usu eruditi, exquirant, et ad cuius ideam  
 „atque exemplar quasuis reipublicae partes confor-  
 „matas et expressas velint. Certe tantum malum non  
 „esse, ut de nouo tributo cogitandum sit: quippe  
 „huiusmodi subsidia non temere adhiberi, sed ad  
 „summas reipublicae difficultates reseruari oportere.  
 „Quod impensarum molestia populo imponatur: id  
 „hactenus quidem recte a nobis fieri, ut certe impe-  
 „rantibus ea nullo jure conueniat: at non magis illud  
 „eorum esse, ut sumtus per populum efficiant. Vni-  
 „uersam disciplinae publicae administrationem iis ita  
 „liberam esse, ut cuiusuis negotii ad eam pertinentis  
 „recipiendi, et recusandi, hoc modo, et alio, tractandi,  
 „perficiendique, et intermittendi, penes eos arbitrium  
 „sit: proinde nec eorum consiliarios reprehendendos  
 „fore, qui tributum nostrum haud probauerint, et  
 „vero etiam disuaserint.“ — Alii, paullo inclemen-  
 „tiores, indignum existimaturi, ad disputationem no-  
 „biscum descendere, si tamen sui alloquendi faculta-  
 „tem nobis fecissent, rem omnem breuiter et strictim  
 „conficerent illo potentissimo dicto: „sunt ad excogi-  
 „tandum ista, quam ad agendum, facilia.“

Ex horum sententia nihil in ciuitate tam preca-  
 rium est, quam hominum vita et valetudo. Quid  
 nobis amplius sperandum relinquunt, cum copias ad  
 eam curandam necessarias neque a populo, neque ab  
 imperantibus suppeditari volunt? Quod enim illud  
 nominatim negant, sumtus ad populum deferendos  
 esse: idcirco imperantibus ad illos sustinendum ni-  
 hilo magis auctores esse volent; ac si quis ab iis id  
 con-



contenderet, non dubito quin fiscum priuatum tuituri essent eodem argumento, quo nos vtimur. Quid multa! Otio suo consulunt: ideoque nunc imperantium, nunc populi jura praetendunt. Nam vt negotium deuities, quod tibi molestum futurum praeuideas: peropportuna excusatio est, si dicas, aliquod jus legitimum obflare.

Est igitur medicinae publicae haec iniqua conditio, vt non modo copiis paratis careat, verum etiam, ad eas, non maximo negotio parandas, curatorum suorum fauore atque auctoritate destituatur. Quae autem huius destitutionis causa est? Nempe valetudo communis non eo modo ad formam reipublicae pertinet, vt vel religionum, vel iurium domesticorum extraneorumque descriptio: proinde inter res medias et indifferentes numeratur, quarum, in regenda ciuitate, studium honestum quidem et laudabile sit, at non debitum. In quo loco vereor, ne multos fallat illa scholis vtitata officiorum juris pleni, et minus pleni distributio. Sit ea sane alias vera: certe ad imperantium munus non traducenda est. Sunt enim horum officia juris pleni ea omnia, quibus praetermissis stare ciuium salus nequit. Quodsi ea excipias quae vi exigi non possunt: nulla erunt quae juris pleni necessitatem habeant. Scilicet aduersus peccata imperantium, nisi summa reipublicae periclitetur, ne actio quidem suppetit, nedum vis. Neque tamen id rectoribus ciuitatum argumento sit, vt valetudinis communis curationem amoris ac beneficentiae magis esse, quam iustitiae arbitrentur. Huius enim per-



fectae laudem ex hac vna re habebunt, si diligenter seruauerint condendae societatis ciuili imperiiue mandandi ac recipiendi pactionem. Quam caueant, ne, quia eius commentarii et chirographa non exhibentur, nullam esse credant, nisi philosophorum ingeniis fictam et excogitatam. Quibus enim cunque initiis ciuitates extiterint: earum regendarum finis quidam sequendus est, et omnino talis, quem non serui homines, sed liberi spectauerint proposuerintque. Is vero nequit esse nisi in spe praecipuae felicitatis. Iam et si spem hanc et expectationem, pro modo rerum humanarum, vel hactenus impletam vidimus, vt, etiam in ciuitate minus beata imperioque duriori subiecta, tolerabilior conditio sit parendi, quam, in bruta et feroci turba, dominandi: (illos enim tristes status ciuili osiores, qui tutius atque laetius viui existimant sine legum ac morum disciplina, si quidem, vt Ciceronis verbis dicam, inuenta fruge glandibus vesci malunt, nihil nunc audeo morari): tamen, a valetudine insignem iacturam factam esse, apertum est et manifestum. Quantum enim gentibus feris et barbaris morum expolitione vitaeque vsu et cultu praestamus: tantum illae nos corporis robore atque vigore antecellunt. Et quoad longissime inuestigari possunt morborum primae origines et causae: eos plerosque omnes de necessitatibus et iucunditatibus, de laboribus et incommodis, de virtutibus denique ac vitiis statui ciuili propriis videmus promanasse. Itaque aut omnino lege atque officio vacat suprema potestas; aut nihil a iustitia magis alienum est, quam non, relictis omnibus, ea mala leniri, quae  
per



per ipsum statum civilem hominibus inferuntur. Quod enim suae quisque valetudini potest prouidere: id eo tantummodo pertinet, vt in cibo ac potu, in somno et vigilia inque animi et corporis intensione ac remissione, ordinem quendam ac modum teneamus. Verum haec domestica prouisio non eas morborum causas depulerit, quae, nisi publica auctoritate et ope, prohiberi non possunt. Eas enim priuatim amouere tibi ne licuerit quidem: nimirum repugnat, quippiam in ciuitate, quod ad publicum pertineat, agi priuatim: praesertim in hoc genere, quod vndique implicatum est iuribus vel communibus, vel singulorum.

Haec cum sit ratio atque institutio societatis ciuilis: non maiore jure contra rapinas ac fraudes, quam contra pericula valetudinis, praesidium imperii desideramus. Namque homines licentiam et libertatem tuendi semet ipsos non temere abieciisse, sed consulto dimisisse putandi sunt; hac quidem lege et conditione, vt, qui reipublicae praefuturi essent, ipsorum salutem summa industria custodirent. Atque ex his conficitur tributum, quod volo, non salubritas modo, sed necessitas quoque. Necessitatem legitimam intelligi volo, quae faciat, vt ei nec describendo imperantes, nec pendendo ciues, se possint recusare.



Candidatus, cuius publice commendandi causa  
hanc scriptiunculam emisi, est

ERNESTVS FRIDER. AVGVSTVS  
BAVMANNVS

GRAEFENHAYNICHENA — SAXO

MEDICINAE BACCALAVREVS,

litteris, industria vsuque et exercitatione ad artem  
medendi instructus et comparatus: qui, de vitae ac  
studiorum suorum ratione, haec scripsit.

*Natus sum decem fratrum consanguineorum po-  
stremus, die IV. m. Aprilis a. cMCCCLXXXI. Grae-  
fenhaynichenae, regionis Vitebergensis oppidulo, pa-  
tre Christiano Valentino, scholae magistro tertio et  
custode; matre Iuliana Salome e gente Röhrigia.  
Primis literarum elementis imbutus sum a patre,  
deinde etiam a Wrückio, cantore, et postremo a  
Treptio, rectore. Deinde commissus sum in discipli-  
nam Benj. Schelleri, auunculi, qui Schweinitii ar-  
tem chirurgicam exercebat. Deposito apud hunc  
tyrocinio chirurgiae trienni, Halae Saxonum, quo  
me contuleram, in notitiam Ill. Merkelii venire con-  
tiguit, qui et praelectiones suas anatomicas et the-  
atrum anatomicum gratis frequentare mihi permisit.*

*Paulo*



*Paulo post, quum, chirurgiae causa, Dresdam me contulisssem, Filius hereditarius Serenissimi Principis Hohenzollern-Hechingensis, qui tunc, iter per Galliam parabat, et chirurgum, comitem, quaerebat, me pro hoc itinere, in suum comitatum adiunxit, suaque liberalitate ita cumulavit, ut, quantum ei debeam, verbis exprimere non possim. Plurimum autem utilitatis ex itinere illo, per Germaniam, Helvetiae partem, Belgium Galliamque facto, in me redundavit ab artis meae excolendae opportunitate. Bienio praeterlapso, quum in patriam redeundi consilium Principi Celsissimo aperuisssem: Hic illud maxima munificentia et liberalitate adiuuit. Igitur Dresdam redux, omnibus praelectionibus, in collegio medico et chirurgico habitis, interfui, et quidem Haenelii de anatome atque physiologia, Lehmanni de anatome atque anthropologia, Raschigii de pathologia et Therapia, Titii de materia medica, Demianii de morbis infantum et mulierum, Hedenique de chirurgia speciali: cuius eiusdem etiam operationes chirurgicas demonstrantis, et clinicen chirurgicam docentis, auditor fui. Praeterea vero Raschigii scholam clinicam frequentavi. Ut patris, annum quartum et octogesimum agentis, voto satisfacerem,*

*in*



in oppido patrio fortunarum mearum sedem fixi; chirurgiae exercendae veniam consequutus a gratioso ordine medicorum Vitebergensi, apud quem eius rei causa examen legitimum subii. At quum in praxi chirurgica successu non carerem: nonnullorum inuidia ita me impediuit, vt, patre jam mortuo, locum inter chirurgos exercitus Borussici quaererem et acciperem. Legioni, quae tunc a Renouardo nomen habebat, adscriptus, Halam me contuli, vbi et Exp. Jostius, eiusdem legionis medicus, humaniter me excepit, et Ill. Loderus, quum in huius notitiam venissem, multa beniuolentiae documenta mihi exhibuit. Mense Maio a. h. s. VI. Berolinum adii, vt doctrinae chirurgicae ampliores copias colligerem. Bello exorto, mense jam Septembri ad legionem profectus sum. Post calamitatem, ad Auerstadium acceptam, legio Renouardiana Parthenopoli in praesidio collocata fuerat: quo loco munito, praefecti perfidia, Gallis dedito, ipse quoque in captiuitatem veni. Libertas tamen mihi data est, Halae Saxonum commorandi. Eo tempore matrimonium contraxi cum Dorothea Carolina, quam Carolus Schmidti, chirurgus Ducis Anhaltino-Desfaviensis, alumnam, pro filia educauerat. Idem vir, amore vere paterno me

com.



*complexus, consilium meum, Lipsiam adeundi, ut ibi et artem exercerem, et disciplinae medicae me darem, sumtus necessarios suppeditando, liberalissime adiuuit. Anno igitur h. s. IX. a Tittmanno, Viro Magnifico ac Summe Reuerendo, qui nunc quoque Academiam regit, inter ciues academicos receptus, scholas Ill. Rosenmülleri anatomicas, Eschenbachii chemicas atque pharmaceuticas, Clari anatomicas, physiologicas, chirurgicas, therapeuticas et clinicas, b. Gehleri item clinicas, Ludwigii autem pathologicas atque medicinae publicae frequentavi. Nec mihi defui, quin Ill. Platnero de oculorum morbis, et Kühnio de morbis infantum disferentibus auscultarem. Anno h. s. undecimo subii examen theoreticum, et habitis, quae pro licentia debentur, praelectionibus, superiori anno me subieci alteri examini, quod rigorosum vocatur. Iamque in eo sum, ut dissertationem, de cancro scriptam, publice a dissentientium dubitationibus defendam, praeside Exp. Kühnio, h. t. ordinis medicorum Lipsiensium Decano Spectatissimo.*

Hanc disputationem habebit die Mensis Octobris quarto decimo, ab hora nona. Deinceps ego, munere Cancellarii vicario, veniam ei et potestatem  
ca-



## XVI

capessendi summos artis medicae honores tribuam in  
confessu nostri Ordinis. Quod Vobis, Rector Acade-  
miae Magnifice, Illustrissimi Comites, litterarumque  
in vtraque ciuitate nostra Doctores et fautores Ex-  
cellentissimi, et Vobis quoque, Nobilissimi, Huma-  
nissimique Commilitones, solemni ritu indicare, et  
munus meum et erga Vos obseruantia mea iubebat.

P. P. Dom. XVIII. p. F. Trin. clolcccxiv.

---

---

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.















